




GEORGII GENTII SPECULUM POLITICUM,

Sive

AMOENUM SORTIS HUMANÆ

THEATRUM,

Cum Notis illustratum.






LIPSIÆ,
Apud JOH. CHRIST. KANIZ.
1673.









BENEVOLE LECTOR,



Abes hic sortis humanæ Theatrum, *speculum Regum & Principum, religiosorum & pauperum mores; facilem juventam, atq; difficilem senectam; Imò dubiam & periculosam vitæ totius generis humani aleam; ejusque certam & salutarem inter tot perditos aleatores, benè & sapienter regenda artem.* Autor, qui id condidit, vir longè gravissimus fuit; gente Persa, patriam Cyropolim habuit: eruditione seculi sui facilè princeps: Variæ & longinquæ peregrinationis gloria nulli

ſecundus : longa ætate & vere Neſtorea illo ævo primus : illuſtre ancipitis fortunæ exemplum. Ipſe hoc Roſarium ſuæ mortalitatis immortale Monumentum poſuit ; in quo perenne quoddam Roſarum genus omni poſteritati plantavit : quod nulla cœli & ſoli felicitas : ſed divina fœcundi ingenii protulit ubertas ; cæteris roſis per omnia diſpar, fragrantia atque virtute longè nobilius. Hoc tamen hæ Apollinares roſæ cum ipſis hortenſibus commune habent, quod frutice ſuo decerptæ etiam quam maxime fragrent. Quo ipſo accenſis poſſeſſorum animis, jucundiſſimo commercio pretium ſui magis commendant : dolorem jacturæ, ſi qua forte incidat, exaſperant. In aliis ſui deſiderium atq; amorem acrius inflammant : neglectum vero atque contemptum ſui, negato ſuaviſſimarum deliciarum fructu, acerrime vindicant. Tu itaque, ſi fragrantes deſideraveris ; ex hoc autoris noſtri Roſario eas avida manu decerpas : quas ſi manibus ver-

ſando

fando attriveris : suavius spirant, imo circumferentem eas, suavissime fragrantem reddunt. Assiduo enim attritu illis, tanquam rubentibus victimis, succus & sanguis suus exhauritur, quo ingenii nostri siccitas irrigari potest : Purpurascente harum colore formam nostram commendamus: suavissimo odore insipientiam emendamus. Tu Rosarium hoc, dulcissimum animi delicium accipe, & mirare infandas Naturæ dotes, purpureum, verum, vivumque colorem, & suavissimum odorem, virtutibus suis pollentes. Æstima fœcundum Autoris ingenium, dignum profecto, si viveret : qui fidelis operarius in Servatoris nostri vineam conduceretur. Me vero transplantatorem non habes, quem spectes; nisi forte benignius interpretari lubeat, me præter hortulanorum mortem, Rosarium patens omnibus atque commune fecisse. Hoc si laudaveris; profecto non me, sed teipsum laudaveris : Ego enim jam ab

aliquot retro annis in ipso Rosario nativo versatus, veluti satur, hic tibi saltem per traducem transplantatarum exhibui, cujus me primum florem decerpsisse merito suspicari possis. Quin à te precibus contendere debeo, ut scilicet tenuem hunc nostrum transplantandi laborem & cultum non aspernari, & transplantatas nostras Rosas cum nativis, quas non plane omnes odorando absumsimus, boni consulere digneris. A nobis quidem, ut decuit, allaboratum fuit; usus sum gravissimorum virorum in Oriente institutione, ex quorum disciplina ea hausi, quæ huic autori illustrando forent: qui cum non tantum in Perside, patrio suo solo, sed in India, Arabia, & Turcia ubique longe sit celeberrimus & desideratissimus, ex quo omnis ætas variæ fortunæ exempla petere, & in omnem vitæ usum feliciter transferre solet: quo clarissimum hoc Persidis suæ Sidus, quod totum Orientem fulgore suo illustrat, tandem Oc-

cidenti nostro quoque affulgeret, discussis externi cœli nubeculis, veram ejus mentem tibi aperire, & sicubi non defungi interpretatione sola licet, admotis Illustrium virorum faculis, notulis inquam appositis, obscuriora illustrare placuit; & quod boni ducis officium est, illustrationis facem vestigiis tuis præferre: ne scilicet, mentis pedem per tenebras forte impingendo, ruinam metuens, Rosario nondum viso, per nota vestigia retrocederes: vel offensus nimiis in Rosario spinis, tenerrimam mentis aciem vulnerares, atque salebrarum tædio vel ipsas plane rosas contemneres atque rejiceres, satius omnino existimans, ipsis Rosarum deliciis carere, quam mentis aciem spinosis salebrarum obscuritatibus obtundere, & gravius vulnerare. Quam nostram opellam si gratam tibi fuisse intellexero, spes est fore, ut hæ Persicæ Rosæ nostro consilio & curâ brevi quoque in Germanico & Gallico eloquentiæ horto pulcherri-

me efflorescant, alioquin periculum equidem est, ne exteram illud Rosarum genus, cum peculiarem genium habeat, atque singularem quoque cultorem requirat, alieno studio cultum, à nativo suo vigore & stirpe multum degeneret, imo prorsus pereat: Spes itidem est, ut tibi quoque autoris nostri *Aurea Poma* degustanda demus. Scripsit enim ille duos libros, Alterum hoc *Rosarium* quod tibi hic prodidimus: Alterũ *Pomarium* quod decem capita complexum, mera quoque sapientia, historiis, & gravissimis, supra quam dici potest, constat sententiis. *Primum* agit de *Iustitia & Iusto mundi Regimine*; quomodo populus à Principe sit fovendus, & Numen divinum venerandum. *Alterum de Beneficentia & Liberalitate*, ut quicunque dives illud intentâ curâ legerit; Deum merito celebret. *Tertium de Amore, Temulentia & Insania*: non tamen, qua agitati humana, sed Numine quodam correpti, divina spiramus, atque persequimur. *Quartum*

de Humilitate. Quintum de Constantia & animi Tranquillitate, in Providentia divina per omnia suavissime acquiescentis. *Sextum Continentia* & illorum, qui eam colunt, *Laudes effatur. Septimum Disciplinam*, *virtutem & bonos mores docet. Octavum Laudes pro beneficiis Numini dicit. Nonum de Pœnitentia & pietatis studio*: *Decimum de Precibus*, & necessariis ad vitam humanam *differit*. Hoc vero, *mi Lector*, potissimum te ignorare nolim, ipsum autorem plerisque, quæ dicit, præfuisse, aut interfuisse. Sed cum evenerint nonnulla viris minus illustribus, illorum nomina consulto prætermisisse. Neque vero ideo minoris fidei habenda ea sunt, quam si obscurorum nomina celebrasset. Illustrium certe virorum, Regum, Principum, atque Sapientissimorum nomina memoria prosequitur laudabili. Autoris utrumque opus per universum Orientem omnibus Regibus, Principibus atque Magnatib. est longe carissimum: quod certatim

tatim laudibus ad cœlum ferunt, & aureis plerumque literis, atque insignibus imaginibus ad luxum usque exornant. Ego id nactus fato feliciori, variorum & gravissimorum virorum commentariis illustratum, iisque manu mea vel descriptis, vel intenta cura collatis, hic tibi genuinas ejus Rosas exhibui, easque, ut majori earum fragrantia afficereris, in Latio campo ordine suo explicavi. Si rem gratam fecerimus, Rosarium ingredere, Rosas carpe, & bono cum Deo iis fruere: mihi vero, qui Tui amore inductus, has tibi exhibeo, amoris & benevolentiæ fragrantiam aspirare perge; Vale mi Lector & fave.

Dab. in hortis Dn: Doct. Verlanii quib. Anslonii quondam conjugem & bibliothecam omnibus Orientalibus libris instructissimam habet,
Calend: Octob: Anno CIϽ IϽC *lv,*

GEORGIUS GENTIUS.

IN NOMINE DEI,

MISERICORDIS,

MISERATORIS.

LAus Deo incomparabili & excelso : illi obsequi, causa est unionis, (cum eo;) illum laudare, beneficium (in nos) augere. Quivis spiritus, * qui descendit, vitam extendit, cum ascendit, corpus reficit. Geminum itaque in unoquoque spiritu beneficium ; & pro quoque beneficio dicendæ sunt grates.

Dist : Ex manu linguaque cujusnam proveniat,
Ut debitas illi laudes exprimat?

Colite & obsequium præstate, ô posteri Davidis, laudantes ; pauci enim sunt servi mei sedulo laudantes.

Servo hoc satius est, ut sui defectûs
Deprecationem ad aulam divinam ferat :
Alioquin dignas Numine laudes,
Nemo habere potest.

Imber misericordiæ illius infinitæ inundavit universa. Epulum beneficentiæ illius profusæ apparatum est ubique. Cortinam † honoris servorum ob turpe flagitium non rumpit. Neque quotidianam vitæ sustentationem ob nefarium crimen præcidit.

O benefice Deus, qui ex thesauro recondito,

Ignicolis [c] & simulacrorum cultoribus vitæ sustentationem præstas.

Amicos quinam destituas,

Tu, qui hostium curam geris?

[d] Stratori subsolano dixit, ut Smaragdinum [e] lectum sterneret. Nutrici vernæ nubi [f] imperavit, ut herbas [g] filias (suas,) in terræ incunabulis educaret. Arbores æquinoctiali [h] habitu, viridi foliorum toga circumquaque amicivit. Et surculis ramorum verni temporis adventu, pileum ex floribus confectum super caput imposuit. Succus arundinis illius potentiâ sacharum factum est præstantissimum. Dactyli nucleus ipsius curâ procera palma evasit.

Nubes, ventus, luna, sol & cœlum occupantur;

Ut tu (ô homo) panem acquiras, eumque non ingratus comedas.

Omnia tui causâ perpetuo agitantur motu, & imperata faciunt;

Æquitatis itaque ratio minime fert, ut tu imperium excutias.

Habetur traditio creaturarum excellentissimi, rerum gemmæ, mortalium misericordiæ, humani generis perfectissimi, temporum cursûs consummatoris, Muhammedis Mustaphæ, misericordia & pax sit super ipso.

Dist: Intercessoris, verendi, Vatis, liberalis, Distributoris, potentis, ridentis & signiferi. [i]

Dist: Quid mœstitiæ gentis muro, si tui instar columen habeat?

Quid

Quid pavescat maris undas ille, cujus
Nauclerus est Noachus?
Carm. Perfectione sua summum penetravit.
Densissimas tenebras lumine suo discussit.
Omnibus dotibus pulcher fuit.
Vota pro ipso ipsiusque familia facite.

QUovis tempore, cum quis servorum peccatorum, temporis (male transacti) pertæsus, conversionis manum susceptionis spe ad aulam Dei maximi & excelsi tulerit; Deus vero maximus ipsum (primo) non respexerit; denuo flagitet: si denuo (illum) Deus forte aversatus fuerit: tertio luctu & gemitu exclamet. (Tandem) Deum laudatum & excelsum dicturum: ô Angeli mei! pudet me equidem servi mei; sed præter me Dominum habet nullum. Crimina ipsi certo ignovi, precibusque susceptis, necessaria ipsi subministravi. Me enim pudet tantarum precum, tantorumque servi mei gemituum.

Dist: Contemplare benevolentiam & benignitatem Dei.
Crimina admisit servus, Deum vero pudet.

Assidui templi [k] majestatis illius cultores egestatem cultus fatentur, (dicentes:) Non coluimus te, ô Deus, cultu tuo vero. Describentes splendorem pulchritudinis illius attoniti queruntur: Non cognovimus te, ô Deus, vera cognitione tua.

Ver: Si quis me laudes rogaverit ipsius,
Quid excors de signi experte dixerit?
Amatores victimæ facti sunt rei amatæ
Atqui à victimis vox redit nulla.

Cordatorum quidam, divina contemplaturus, capite in togam demisso, oraculorum pelago[l] immersus erat. Emergenti familiarium quidam jocabundus ait. Ex horto illo, in quo fuisti, nobis quid grati muneris tulisti? Respondit ille, mihi quidem consilium erat, rosarum fruticem[m] cum contigero, sinum rosis implebo, munus, amicis: (sed)me ad fruticem delatum fragrantissimus rosarum odor adeo ebrium reddidit, ut sinus ex manu mea dilapsus fuerit.

O luscinia, verum amorem ex pyrallide[n] discas.
Hujus enim exustæ, quanquam anima discedat, vox tamen redit nulla.
Ostentatores[o] isti, in flagrantissimo illius desiderio, sunt sine notitia:
Cui enim notitia facta fuit, ab eo notitia nulla redit.

Ali: O tu sublimior cogitatione, judicio, opinione, & imaginatione!
Omnia majoribus dicta audivimus & legimus.
Consessus[p] est finitus, metam tetigit vita:
Atque res ita se habet, ut nos in descriptionis tui restiterimus limine.

Hæc est memoria virtutum regis Muhammedanorum, regnum illius sit æternum.

BOna equidem Sadi memoria, consentiente gentium ore celebrata, bonaque dictorum illius fama, quæ totum terrarum orbem pervasit, quodque pergratum oraculorum illius calamum, sacchari ᵠ instar, mortales, in deliciis habent, chartasque dictorum illius perinde ac aureas ʳ literas circumferunt, non magnæ equidem illius scientiæ & facundiæ tribui potest: sed orbis terrarum domino, temporum cursus polo, ˢ successori Salomonis, adjutori fidelium, regi regum maximo, curatori excelso, Musaffer eddin Abubekero filio Sadi, filii Sengi, umbræ summi Numinis in terra, ô magne Deus benevolus illi esto, ipsumque benevolum reddito, ille enim (me Sadum) clementiæ oculo respexit, benevolentiâ inusitatâ cumulavit, verumque amorem demonstravit. Hinc populus universus cum magnates, tum plebs in amorem ipsius flectuntur. *Homines enim regum suorum moribus vitæque institutis adrepere solent.*

Car: Ex illo tempore, quo tu me inopem respicis,
Monumenta mea ipso sole sunt clariora.
Quamvis omnia vitia in hoc sint servo.
Quodvis tamen vitium, quod regi placet, virtus est.

Aliquantum terræ odoriferæ in balneo quodam die.

Pertigit ex manu dilecti in manum meam.

Illi dixi, tu aut muscus aut Ambra es:

Ex tuo enim odore cor accendente sum ebrius.

Respondit: Ego terra sum vilis;

Sed aliquandiu cum rosa consortium habui.

Virtusque sodalis in me penetravit.

Alioquin ego terra sum tantum, quod sum,

Magne Deus, fideles bea vitæ ipsius longitudine:

Et gemina merita bonorum operum, virtutisque ipsius.

Extolle magnitudinem amicorum ipsius, judicumque.

Et prosterne hostes inimicosque ipsius.

Audi nos, magne Deus, per illud, quod in Korano sacrorum dictorum legitur.

O Deus noster, securam præsta illius regionem, servaque prolem ipsius (Sadum.).

Car: Orbis certe beatus fuit ipsius beneficio.

Diuturna sit ejus Majestas.

Eumque adjuvet Deus auxilii signis.

Adolescat eodem modo surculus illius, cujus ipse est radix.

Bonæ enim herbæ in terra ex seminis nascuntur præstantia.

Altissimus sanctissimusque ille Deus, puros Schirasi limites justorum judicum gravitate, sapientumque beneficorum diligentia ad extremum

mum usque resurrectionis diem in pace & tranquillitate conservatos præstet.

An nescis, in peregrino orbe,
Quare per aliquod tempus sim moratus?
Discessi propter iniquitatem Turcarum; [r] quia vidi;
Orbem tumultibus implicitum, capillitii [s] Æthiopum instar.
Omnes hominum erant progenies; verum luporum instar cruenti.
Intra urbem cives erant, ut angeli, moribus optimi.
Extra vero erat (Turcarum) exercitus, leonum instar ferocium.
(Ex peregrino orbe) reversus, provinciam vidi liberatam,
Tigresque [v] tigrinos mores exuisse;
Talis erat primi temporis facies, quam vidi,
Orbis scilicet turbis, tumultibus, atque angustiis obrutus erat.
Talis, felix scilicet, fuit tempore æquissimi regis,
Optimi Principis Abubekeri filii Sadi, filii regis Sengi.
Persarum regno nullum miseriarum est periculum:
Quamdiu tui instar, umbra Dei, in fastigio illius fuerit.
Hoc quidem tempore nemo in toto terrarum orbe monstraverit,
Similem aulæ tuæ, benevolentiæ tranquillitatisque portum.
Tuum est, inopum animos fovere; laudare,

Nostrum; Dei vero conditoris universi, tibi ea reddere.
O Magne Deus, à motuum tempestate Persarum regnum defendas:
Quamdiu ipsa terra ventusque durabunt.

Causa conscribendi libri.

QUadam nocte præteriti temporis memoriam revocavi:
Vitæque male transactæ dispendium cum indignatione devoravi.
Saxumque [a] habitaculi cordis lacrymarum adamante [b] perforavi.
Hosque versus conditioni meæ convenientes effudi.
Quovis momento unus vitæ abit spiritus.
Illud dum inspicio, non multum restitit.
O te (socordem!) cujus jam quinquaginta (ætatis anni) sunt elapsi, etiamnum somno gravem!
Utinam istos quinque supremos vitæ dies probe intelligeres.
Pudor illi, qui abiit, opusque non perfecit,
Discessus tympanum percusserunt, sarcinam nec composuit.
Suavis Somnus in discessus aurora,
Retinet peditem ex itinere.
Quicunque venit, novam fabricam struxit:
Abiit ille, fabricamque alteri construxit.
Alter ille, similia huic vanitatis molimina agitavit:
Illam vero fabricam ad finem perduxit nemo.

Sodalem instabilem amicum ne adscisce:
Amicitiâ indignus est fallacissimus hic
mundus.
Cum bonis malisque pariter sit moriendum;
Beatus est ille, qui bonitatis palmam [d] reportavit.
Viaticum vitæ (æternæ) in sepulchrum
tuum præmitte:
Mortuo enim tibi nemo feret: tute ipse
præmitte.
Vita (ut) nix est, solque Augusti (æstuans)
Pauxillum reliquit; tibi tamen Domino
etiamnum socordia & inertia blanditur?
Heus tu, qui manu vacuâ forum adiisti;
Metuo, ut plenum referas [e] strophiolum.
Quicunque segetem suam comederit, dum
adhuc in herba est;
Messis tempore spicilegio contentus esse
cogitur.
Consilium Sadi attentis animi auribus accipe:
Via ita se habet, tu te virum præsta, & vade.

Hoc probe considerato, ex re esse vidi; ut in loco solitario considerem, sinuque meo à mortalium consortio contracto, tabulas inanium dictorum delerem, posthacque nihil amplius male aut procaciter dicerem.

Ver: Elinguis in angulo aliquo desidens, surdus atque mutus,
Præstat illi; cujus lingua est effrænis.

Solitudinem itaque colui, donec tandem

quidam amicorum, qui sodalis in Meccano itinere mecum eodem vectus camelo, inque hospitio mihi contubernalis; antiquo & usitato more fores ingressus, quantis jocis facetiisque (blanditus) ipsum illecebrarum lectum constraverit, (frustra tamen confabulationem molitus:) nullum enim verbum respondi, ne caput quidem cultus divini gratiâ genibus [f]innixum extuli: quo ille accensus me aspicit & ait;

Nunc dum dicendi datur copia;
Dicito, ô frater, favore & benevolentia:
Crastino enim die, cum fati satelles te accesserit,
Invitus linguam contrahes.

Quidam sodalium meorum illum, status mei recenter ita mutati, certiorem fecit, inquiens: hic homo consilium cepit singulare, vitamque solitariam sibi proposuit, vitæ scilicet reliquias in hoc terrarum orbe, procul à mortalium consortio, Deum colendo exacturus, silentiumque culturus. Tu quoque si potes, animum collige, solitudinisque viam & instituta amplectere. Quo audito infit; Magnum testor Deum, nostrumque antiquum consortium & amicitiam, me non acquieturum, nec pedem hinc moturum, nisi more usitato consuetudineque ex solito verbum fecerit. Amicos enim offendere, mera est socordia. Sacramenti [g] quoque, (si quod dixerit,) piaculum facile est.

Rectitudinis enim tramiti adversum, cordatorumque judicio contrarium est,
Ut Ali [h] ensis lateat in vagina (reconditus,)
Et

Et (facunda) Sadi lingua palato hæreat affixa.

Lingua in ore, ô Cordate, quid est?
Clavis est portæ thesauri artificis
Clausa si porta fuerit, quid sciverit alius,
Utrum gemmarius, an vilium lapillorum mercator intus sit?
Etsi coram cordato silentium (magna) sit virtus:
Necessitatis tamen tempore, verbis certare præstat.

Duæ enim res (causam) turbandi & confundendi animi præbeant: *Tacere tempore loquendi, & loqui tempore tacendi.*

Ut rem paucis complectar, linguam ab illius colloquio (diutius) continere non potui; vultumque à confabulatione illius avertere, benevolum haut duxi: facilis enim sodalis, verusque erat amicus.

Ver: Quod si potens sive bellicosus es, contendas cum illo,
Cujus aut prorsus non indiges ope, aut quem effugere possis.

Invitus itaque locutus, animumque recreaturi foras prodiimus, tempore verno, cum fractâ jam hyberni frigoris vehementiâ, florescentium rosarum statio adesset.

Ver: Viridi foliorum indusio amictæ erant arbores;
Perinde ut festis diebus divitum habitus splendidus esse solet.
Primus erat Ardebehischti Schelaliani [i] mensis dies:

Luſcinia loquax celſis arborum ramis inſidebat.

In purpuraſcentibus roſis ex rore cadentes (guttæ) margaritarum inſtar ſplendebant;

Perinde ut ſudor in malis formoſi æſtuantis.

Eadem illa nocte in cujuſdam amici horto præter ſpem & opinionem pernoctandum fuit. Hortus ille (bellis pratis) erat jucundus: Arboribuſque, miris animi illecebris, denſus. Tu equidem (florum varietate & ſplendore) dixiſſes, viridis vitri fragmentis ſolum illius ſtratum eſſe, Plejadumque nodulos ſive tintinnabula * ex arborum faſtigiis ſuſpenſa, (tantâ fructuum copiâ arborum rami gravati erant.)

Hortus, cujus rivorum aqua ſaluberrima, ſive Nectar erat.

Pomarium, cujus avium concentus dulciſſimam carminum modulationem æquabat.

Hortus omnium colorum floribus refertus.

Pomarium omnis generis fructibus plenum.

Ventus ſub umbra arborum illius

Straverat tapetum omnis coloris.

Poſtridie, cum revertendi propoſitum reſtandi opinionem ſuperaſſet, vidi ſodalem meum antiquum, qui ſinum roſis, myrto, hyacintho, ocymo impletum conſtrinxerat, ſic urbem repetere conſtituerat. Ego illi dixi: Roſarum, quas fert hortus, ut noſti, ea eſt ratio, ut non

durent,

durent, neque ipsa florescentis Rosarii statio est diuturna. Sapientum vero hoc est oraculum; Rei instabili animum applicare turpe. Quo audito, infit ille, quid itaque agendum? respondi, ego potens quidem sum, ut studiosis, aliquod animi delicium; doctis variæ eruditionis complementum; ROSARII scilicet librum conscribere possim: in cujus certe folia ne sævus quidem autumni ventus funestam manum injecerit; neque temporum vices vernas illius delicias in sterilem hybernamque nuditatem mutaverint.

Quorsum & cui bono est tibi rosa explicata & ampla?
Ex ROSARIO meo unum modo carpas foliolum.
Rosa enim quinque aut sex tantum durat dies:
Hoc vero ROSARIUM semper floridum pulchrumque erit.

Mox ubi hæc fui locutus, sinu Rosas effudit, sinumque meum prehendit inquiens: *Liberalis, quicquid promittit, præstat.* Vnum atque alterum caput per istos aliquot dies præter spem, in chartam conjecta fuerunt. Caput scilicet unum, de conversandi decoro & elegantia: (Alterum vero) de colloquendi modestia & civilitate; stylo oratoribus utili, qui & scriptorum elegantiam ornare possit. Ut rem paucis absolvam; rosarum etiamnum reliquiæ extabant, cum liber noster Rosarium, ad finem perductus esset. Tum autem vere perfectus erit, cum gratus acceptusque fuerit in

in aula regis: qui in hoc orbe mortalium est refugium, conditoris umbra, benevolentiæ divinæ splendor & radius, temporis annona sive sustentamentum, religionis refugium, cœlitus firmatus, victricis potentiæ lacertus, gentis illustris lumen, hominum pulchritudo, fidei Muhammedanæ delicium, Sadus filius Principis maximi: regis regum summi, gentium imperatoris, Arabicorum barbarorumque regum patroni, terræ marisque Domini, regni Salomonici hæredis, religionis ocelli, Deus optimus maximus utriusque potentiam semper conservet, extrema ipsorum bene vertat; (Tum inquam vere perfectus erit,) si obtutu benevolentiæ magnatibus innatæ, illum legere dignetur.

Quod si regia benevolentia illum exornaverit,
Perinde ut domus picturarum [l] Chinensis, effigierumque liber [m] Ersengi, celeberrimus erit.
Spes est, fore, ut frontem obrepente tædio nequaquam contrahat:
Quia Rosarium minime est locus angustiam creans.
Imprimis cum egregia illius præfatio nomine Sadi filii Sengi sit insignis.

Celebratio Magni Principis, religionis delicii, Abubekeri Abunasri.

PRæterea sponsa meditationis meæ caput ob deformitatem non effert:

Vul-

Vultumque ſpei omnis egenum, ob verecundiam in pedis ſuperficiem defixũ, nec tollit: Neque in formoſarum agmine formam & ſplendorem oſtentare poteſt; niſi tum temporis, cum amplexûs ornamento eam exornaverit Princeps magnus, ſapiens juſtus, cœlitus firmatus, hoſtium victor, ſolii regii columen, dux adminiſtrandi regni prudentiſſimus, pauperum refugium, peregrinorum portus, ſuſtentator æſtimatorque doctorum, amator piorum, delicium gentis Perſicæ, robur regni, princeps procerum, decus potentiæ atque religionis, adjutor fidei Muhammedanæ & Muhammedanorum. fiducia regum atque principum, Abubekerus filius Abu Naſri: Deus vitam illius proroget, potentiam illius extollat, animum illius illuſtret & præmia (vitæ) illius geminet: eſt enim per totum terrarum orbem divitum laudatiſſimus, atque virtutum omnium ſive bonorum morum compendium.

Ver: Quicunque ſub illius benevolentiæ
opiſque eſt umbra;
Crimen illius obſequium eſt, hoſtiſque
illi amicus eſt.

Cæteris omnibus miniſtris, ſerviſque certa incumbunt miniſteriorum onera: quod ſi illis præſtandis, negligentiæ atque ignaviæ blanditiis illecti defuerint, omnino reddendæ officii rationi correptionibuſque ſubjiciuntur; excepta religioſorum gente, cui [aulicæ molis experti] incumbit, magnatum beneficia gratiis, bonis recordationibus, piiſque votis, precibuſque proſequi: hocque officium rectius fit in occulto

oculto & absentia, quam in propatulo & præsentia: hoc enim adulationi & blanditiis est proximum, illud vero ab ostentatione & simulatione alienum, & certius exauditur.

Dorsum orbis cœlestis contortum, præ lætitia fuit erectum,
Quando tui instar temporum matri natus est filius.
Singulare Dei munus est, quando benevolentia conditoris universi,
Singularem præfecerit servum communi mortalium rei.
Æternam sibi acquisivit gloriam, qui bonum sibi suscitavit nomen.
Illo enim defuncto, bona memoria nomen ipsius immortale præstat.
Parum refert, te laudaverint, an non laudarint sapientes:
Vultus enim formosus non indiget ornatrice (n *aut purpurisso.*)

Excusatio officii parcius præstiti, causaque delectæ solitudinis.

Quod frequentandæ Magnatis aulæ officio deesse & solitudinis secessum præferre cœperim, ratio in hoc est posita. Quod sapientes Indorum magnæ Busurschumhuri o virtuti objecerunt; nullum aliud in illo vitium damnantes, nisi quod sermone tardus esset, sive multum cunctaretur, auditoremque diu attendere oporteret, ut verborum illius argumentum caperet. Busurschumhur hoc audito ait

ait: *Meditari, quid dicturus sim, præstat, quam ut postea pœnitentiæ, quare hoc dixerim, tædia concoquam*

Verborum momenta sciens expertúsque senex,
Primum meditatur; deinde verbum loquitur.
Inconsiderate verbum ne effundito:
Bene dicito: etsi tarde dixeris, nihil refert.
Considerato primum, dein dicito.
Sermonemque finias, antequam quisquam dicat, ohe jam satis est.
Oratione homo præstantior est mutis animantibus.
Animal præstantius est te, nisi bonum dixeris:

Præcipue vero in conspectu procerum principis, ad quem cordati frequentes confluunt, cum sapientissimorum sit centrum; quibus præsentibus, si sermone profuso me virum præstitero, procacitatis & impudentiæ crimen admisero, levisque pretii merces [p] Principi tulero; vilisque petra in gemmariorum foro, ne hordeaceum quidem valet granum. Faxque Soli splendenti apposita nihil luminis fundit, altissimaque turris Elvendi [q] montis radici (adstructa,) humilis cernitur.

Quicunque caput ambitu ostentationeque extollit;
Hostis undequaque in illum impetum facit
Atque seipsum in proprium caput præcipitem dat.
Sadus autem, qui jam cecidit, liber est,

Nemo

Nemo enim cum illo, qui cecidit, bellum gerere velit.

Primum meditatio, postea verba:

Fundamentum enim muro præmittitur.

Ego flores quidem compono, sed non in horto.

Formosus quoque sum; sed non in Canaæa. [r]

Sapientem rogarunt Locmannum, [f] dicentes: sapientiam unde didicisti? Respondit: A cœcis, qui nisi solum tactu exploraverint, pedem non ponunt. *Primum de exitu, quam de ingressu cogitato.*

Primum virum te esse probato, deinde uxorem ducito.

Etsi acer sit (cum gallo) in certamine gallus:

Quomodo tamen feriat accipitrem ferreis uncis armatum.

Felis Leo est in capiendo mure.

Sed mus est in certamine tigris.

Amplis vero subnixus magnatum virtutibus, qui humilium vitia tegere solent, atque in retegendis minorum nævis nullum studium ponunt. paucula quædam via breviori, ex rebus rarioribus, memoria dignis, gravibus sententiis, historiis, carminibus, priscorumque regum institutis, hoc libro contraximus, aliquamque pretiosæ vitæ partem huic insumsimus. Causa componendi libri hujus ROSARII hæc fuit, Deus vero maximus opem ferat.

Multos annos restabit hic codex, hocque scriptum,

Postquam (putrefacti) corporis nostri quivis pul-

pulvisculus in locum suum fuerit missus.
Studium hoc est, ut nostri in hoc orbe aliquod extet monumentum.
Hoc enim corpus nostrum perennare posse minimè video.
Atque utinam quondam cordatus aliquis misericordiâ motus,
Miserorum rem memoriamque piis precibus bonisque ominibus prosequatur.

Exquisitum diligentiæ studium in componendo libro, limandisque illius capitibus; styli brevitatem imprimis affectavit, adeo, ut Rosarium hoc splendidissimum, hortusque admirabilis, perinde ac paradisus octo portis fuerit constitutus, solius brevitatis studio, ne studiosis, obrepente tædio, parum lubentibus perlegatur.

Tem-

Tempus, quo conscriptum est ROSARIUM.

Illo tempore, quando mihi otium esset,
A fuga vatis annus sexcentesimus quinquagesimus sextus erat.
Studium nostrum fuit bona consilia tradere, quæ diximus.
Te Deo commisimus, atque discessimus.



RO-

ROSARII

CAPUT PRIMUM

De Moribus Regum;

HISTORIA.

Regem quendam fuisse, audivi, qui captivum interficere, signum dederat; miser ille, salutis spe egenus, lingua, quam callebat, regem conviciis proscindere cœpit: prout dici solet.

Quicunque manum ab anima eluit;
Quicquid in animo habet, effundit.
Cum quis desperaverit, lingua illius tumescit:
Perinde ac felis superata canem infestat.
Duris temporibus, cum non reliquus fuerit fugæ locus,
Manus prehendit aciem acuti acinacis.

Regi, quid ille dixisset, roganti, quidam purpuratorum, ingenio comis atque benignus inquit: O Rex, dixit miser ille: Paradisus est illorum, qui iræ moderantur, & mortalibus ignoscunt: (Quibus verborum velis, tuum, ô Rex, miserationis portum, magna liberationis spe adnavigat.) Rex hoc audito, misericordiâ motus, imperatam illi necem remisit. Purpuratus alius priori infensus, infit: Nostri equidem generis viros non decet, præsente rege, aliud, quam verum dicere. Hic homo Regem fœdissi-

fœdissimo convicio proscidit. Quo dicto Rex mire accensus inquit: Mihi mendacium illius vero, quod tu dixisti, longe gratius fuit: ipsius enim studium fuit, ut beneficium faceret; tuum vero, ut exitium festinaret. Atque hæc sapientum est sententia: *Mendacium beneficium faciens, melius est vero, exitium parturienti.*

Si Rex (continuo) faciat, quicquid aliquis
dicit;
Væ illi, si præter bonum aliud dixerit.

Arcui æstivarii (regis) Feriduni ita inscriptum fuit:

Mundus, ô frater, restat nemini;
Animum in mundi conditore figas, sat est.
Ne innitaris opibus hujus mundi, iisque incumbas:
Multos enim tibi pares aluit atque peremit.
Cum anima studeat transire illibata,
Quid interest, moriaris in solio, an in solo?

Historia: Quidam ex regibus Chorasanæ, [b] Regem Machmudem, filium Sebuchtegini, post excessum illius, annis centum, hoc modo in somnis vidit: Consumpto toto corpore in pulveremque verso, oculos in loculis suis versando circumspiciebat. Sapientes universi, desperatâ somnii illius interpretatione, obticuerunt, excepto quodam religioso, qui id expedivit, inquiens: Nunc demum contemplatur, regnum suum in aliorum manibus esse.

O quan-

O quantos & quam famosos humo condiderunt!

Quorum, quod in hoc orbe fuerint, nullum vestigium restitit.

Atque hoc decrepitum cadaver, quod terrâ condiderunt,

Terra ita est depasta, ut ossa illius residua sint nulla.

Immortale est laudatum Nuschirvâni nomen;

Quanquam multum temporis sit elapsum, ex quo Nuschirvanus obiit.

Quisquis es, benefacito, vitamque usuram censeto,

Antequam mœsta hæc oriatur vox: Ille non amplius superstes est.

Historia. Regis cujusdam, audivi, filium fuisse staturâ parvum, aspectu miserabilem, cæteris ipsius fratribus corpore proceris, formâque præstantibus. Aliquando pater vultu forte tetrico illum est intuitus, filius ingenio sagax id animadvertens ait: O Pater, *Homuncio ingenio præditus præstat inscio giganti.* Neque mole grandius, pretio potius. Ovis munda est, elephas sordidus.

Minimus montium hujus orbis est Sion:

Qui tamen maximus est apud Deum, potentiâ & dignitate.

Audivistine quid sapiens macilentus

Quodam die rudi obeso dixerit?

Equus Arabicus quamvis sit tenuis,

Talis tamen est, ut asinorum cohorti præstet.

Pater (verbis illius) arrisit, primores collaudarunt, fratres vero acerrimo odio accensi sunt.

Quamdiu vir verbum non fecerit;
Inertia virtusque illius sepulta sunt:
Quemvis saltum ne existimes vacuum:
Fieri potest, ut in eo tigris lateat.

Audivi sub idem tempus, acrem hostem in regem insurrexisse, educto utrinque exercitu, qui princeps, equum suum in campum egerit, filius ille fuit, exclamans:

Ego minime is sum, cujus in certamine tergum videas.
Is equidem sum, cujus caput pulvere cruoreque respersum in solo videas.
Bellum quicunque movet, suo sanguine ludit.
Atque qui certaminis die elabitur, exercitus sanguine ludit.

Hoc dicto hostilem equitem invadit, confectisque aliquot viris fortibus, ad patrem reversus, terramque osculatus inquit:

Heus tu, cui corpus meum miserabile est visum:
Ne in corporis mole sitam putes virtutem.
Equus corpore tenuis, expeditus est
In certamine, non vero bos pinguefactus.

Narrant: hostilem equitem numerosum, hos pauciores, jamque fugæ intentos fuisse, quos filius à flagitio retinuit, militarique voce his verbis ad prælium animavit: Me sequimini ô viri, & fortiter pugnate; ne muliebrem habitum gestare videamini. Accensi his verbis juvenum

venum animi; une impetu in hostem irruunt universi, fortiterque superant. Rex (victoris) filii caput vultumque osculatus, eumque amplexus, indies impensius amare cœpit; ita ut eum suo tempore, sibi regni curatorem adjunxerit. Accensi (novis ipsius honoribus) fratres venenum cibo miscuêre; soror autem dolo per fenestram perspecto, signum datura valvas concussit: filius ingenio sagax dolum (protinus) agnovit, cibo itaque abstinuit dicens: ***Fieri minimè debet, ut moriantur cordati, ignarique ipsorum locum occupent.***

Nemo mortalium sub noctuæ patrocinium concesserit,
Etsi [d] aquila in orbe terrarum non extiterit.

Patri dolum scelusque fratrum indicarunt, qui accersitis aures probè obtorsit, flagitante severitatem scelerum flagitio; singulisque per regnum quædam viveudi loca adscripsit, ut moreretur simultas, discordiaque vanesceret. Sapientum enim est sententia. ***Decem pauperes uni stragulo indormiunt; duos vero reges unum regnum capere nequit.***

Medium panem si vir Dei comederit,
Mediam illius partem pauperibus distribuit.
Rex vero integrum regnum si occupaverit.
Alterius denuo occupandi consilia agitat.

Historia: Arabicorum latronum cohors, in montis cujusdam jugo, sede sibi conditâ, commeantium mercatorum transitum intercluserat: Incolis provinciarum fraude ipsorum territis, superatoque regis exercitu, eo

rem provexerant, ut ex montis jugo certum paraverint refugium, imo præsidium, tutumque satis propugnaculum construxerint. Rectores provinciarum in tempore latrociniis damnisque illorum occurrendum rati, consilium capiunt, dicentes: Hæc latronum pestis, si cœpto modo aliquandiu substiterit, sedibus istis postea moveri & pelli nequibit.

Arbor, quæ recens radicem egerit,
Robore viri unius loco eruitur.
Si illam per aliquod temporis spatium ita reliqueris,
Ne curru quidem radicibus suis avulseris.
Fontis principium obstruitur operculo;
Vndis vero cum intumuerit, ne elephante quidem transiri potest.

Concors hæc Rectorum fuit sententia, exploratorem mittendum, per quem irrumpendi oportunitatem cognoscerent, quam ipsis quodam tempore dedere prædones, gentem quandam, speluncâ vacuâ relictâ, aggressi. Aliquot itaque viros fortitudine claros, militiam doctos misêre, qui se per montis abrupta occulerent; (& ex insidiis prorepentes incautos opprimerent.) Prædones itinere fessi, spoliis graves, sub noctem reversi, arma prædamque posuerunt; hostium princeps, qui illos oppressit, somnus fuit: nocte enim concubia, (cum latrones altum sterterent,)

Et perinde ut Solis orbis tenebris obscuratus vanescit;

Et

Et immani Jonas piſcis hauſtu quondam
vėratus abiit.

(Ipſi quoque ceu veterno quodam obruti abiiſſent.) Viri ecce fortes ex inſidiis prorumpentes, manibus ſingulorum revinctis, proximo die univerſos ad regem traxerunt, qui cunctos interficiendi ſignum dedit. Forte inter prædones fuit juvenis quidam, qui primum juventæ ſuæ florem nuper ingreſſus, lacteam barbæ lanuginem jam modo emiſerat. Purpuratorum quidam regium ſolium deoſculatus, interceſſionis vultu humi poſito, infit: puer iſte, ut latrones ex vitæ humanæ vinea fructum nondum comedit, neque juventutis ſuæ primitias deguſtavit, ſpes mea, benevolentiâ virtuteque regis ſubnixa, hæc eſt, ut hunc puerum ſupplicio abſolutum, huic ſervo tuo beneficii nomine præſtare velis. Rex his verbis, ſublimi ſuo judicio minimè probatis, accenſus inquit.

Documenta bonorum non admittit, quicunque ſtirpe eſt pravus.

Moribus vilem imbuere, nucem globo eſt imponere.

Horum ſtirpem atque familiam ſuccidere, radicem atque originem evellere præſtat. Ignem enim extinguere, ſcintillam relinquere: Serpentem trucidare, pullum vero ſervare, prudentum non eſt.

Nubes etſi vitæ aquam pluerint;
Nunquam tamen ex ſalicis ramo fructum
comederis.

Cum homine vili tempus ne abſumſeris;

Ex arundine enim ſylveſtri ſaccharum nunquam comederis.

Purpuratus regis hanc ſententiam audivit, invitus probavit, exquiſitumque regis judicium laudavit, dicens: illud, quod rex, cujus regnum ſit diuturnum, in medium protulit, veriſſimum eſt: verum enimvero, ſi ex familiari pravorum conſortio, pravitatis ſcabiem contraxiſſet, unus illorum extitiſſet. At hic ſervus tuus ſpe alitur ſummâ, conſortio piorum bonos mores imbibiturum, prudentumque virtutes amplexurum; adhuc enim puer eſt, pravaque prædandi conſuetudo & turpiſſimum pervicaciæ vitium naturam ipſius nondum ſubegit. Præterea ex traditione patet: Neminem mortalium naſci, niſi in Muhammedanæ religionis veſtigiis; parentes vero prolem poſtea Judæorum, aut Chriſtianorum, aut ignicolarum ſacris imbuunt.

Improborum conſortio arrepſit Lothi conjux;
Ideoque domeſticum illius vaticinandi munus periit.
Canis Dormitatorum in ſpelunca, aliquot dies
Bonorum veſtigia ſecutus, homo evaſit.

Hæc purpurati dicta quidam regis amici precibus ita adjuverunt, ut rex illi ſupplicium ex animo remiſerit dicens: tibi quidem puerum conceſſi, quamvis conſultum minimè duxerim.

Noſtine, quid dixerit pater Salus Ruſtemo Athletæ?

Nul-

Nullum hostem miserum atque inopem existimare decet.

Sæpe vidimus aquam ex origine modici fontis.

Intumescentem illico, Camelum onere gravem rapuisse.

Ut rem paucis complectar, purpuratus puerum domum deducens, benevolè & splendidè educavit, moderatorem doctrinâ bonisque moribus imbuendo præfecit, qui decorum auditoris, responsorisque promptitudinem; cæterasque virtutes, ministerio regio requisitas, ita docuit, ut inter cæteros suos æquales delicio fuerit. Aliquando forte purpuratus bonos ipsius mores, atque virtutes nonnihil regi laudavit, inquiens: Sapientum documenta in illo fructum protulerunt, pristinaque naturæ illius socordia subacta est. Quo rex audito, subridens inquit:

Tandem lupi pullus lupus evadit;
Etsi inter homines fuerit eductus.

Tracto aliquot annorum spatio, ejusdem loci miles juveni adrepsit, fide conjuratioeque inter se factâ, opportunitatem captans, purpuratum cum duobus filiis trucidavit, incredibilemque prædam auferens, latronum speluncam, patriam scilicet sedem repetiit, rebellisque evasit. Rex hoc audito, attonitus manum dentibus rodens, inquit:

Bonum acinacem ex pravo ferro quomodo quis fecerit?

Vilis, documentis, ô Sapiens, non fit nobilis.

Pluvia, in cujus naturæ bonitate nullum est discrimen,
In vinea florem producit, in sterili solo spinam.
Sterile solum hyacinthi florem haud ediderit,
In illo ne seminis laborisque impendia prodigas:
Pravis benefacere, perinde se habet,
Ac male facere viris bonis.

Historia: Prætoris cujusdam in [f] Uglumischi aula vidi filium, qui ætate puerili, ingenium, intellectum, judicium & prudentiam, laude monstrabat majorem: illoque etiamnum puero, magnitudinis indicia in fronte ipsius relucebant.

In capite illius, ob singulare ingenii acumen, splendebat magnitudinis astrum.

Tandem, ut breviter defungar, gratissimum regis evasit delicium, propter formæ pulchritudinem, præclaras virtutes & singularem prudentiam: perinde ut sapientū habet sententia:

Divitiæ in virtute, non auro consistunt:
Magnitudoque in ingenio, non in annorum numero.

Æquales hac ipsius fortunâ, novercalibus stimulis acti, afflictis innoxio criminibus, magno quidem nisu; sed tamen frustra illi cædem moliti fuerunt.

Hostis quidnam effecerit? si amicus verus amicus fuerit.

Regi, quæ acerrimi odii causa foret, roganti, respondit: Sub umbra potentiæ regiæ, universos

versos quidem mihi benevolos reddidi, exceptis æmulis, quorum non satiabitur livor, nisi dignitatis meæ interitu. Diuturna sit potentia & majestas regia.

Potens quidem sum, neminem mortalium
offendere:
Invido autem quid faciam? qui ipse gravissimá livoris peste vexatur.
Moritor, ô invide; ut livoris miseriam effugere possis.
Hanc enim pestem non, nisi obitu, expugnare potes:
Viles atque improbi anxiis votis expetunt
Adversa magnatum fata & interitum.
Sed si vespertilionis oculus non viderit,
Quid criminis splendido corpori Solis?
Verum si fatearis, mille ejusmodi oculos
Cæcos esse præstat, quam Solem obscurum.

Historia: Quendam Persarum regem ferunt, iniquitatis manum in subditorum bona extendisse, injuriis, omnisque generis vexationibus illos exagitasse. Subditi iniquis illius artibus fessi, huc illuc dilapsi; atrocissimisque illius vexationibus & ludibriis agitati, desertis plane avitis sedibus, peregrinas sedes quærere cœperunt. Imminuto subditorum numero, imminutus regni census, ærarium inops & vacuum; hostes vero acres undique eum adorti.

Quicunque auxiliatorem calamitoso tempore desiderat;

Pacis tempore liberalitate & clementiâ certet.

Servum annulum aure gestantem, ni benigne tractaveris, elabitur.

Benevolentiam fac, benevolentiam, inquam; ut tibi liber etiam servus existat.

Quodam die in consortio regis, in Thesauro Regum, historia illa legebatur. Quomodo scilicet regum potentissimus Suhacus regno dejectus; Feridunus vero ad regni fastigium evectus fuerit. Purpuratus regem rogavit, inquiens: Feridunus neque ærarium, neque regnum, neque servos habuit; quonam modo regno potitus? Rex respondit: Perinde ut audivisti, populus obfirmato animo ad illum confluxit, adeoque fortiter est connisus, ut regnum obtinuerit. Purpuratus infit: Cum populi concursus, regni causa sit; tu itaque populum malis artibus quorsum fatigas & dissipas? nisi fortassis regnandi studio careas.

Regem populum suum ipsâ animâ nutrire præstat:

Quia Rex populi beneficio regnat.

Tum rex rogat: Quænam causa est, militum subditorumque (ad Regem) concursus? Purpuratus respondet: In Rege requiritur æquitas, ut mortales ad illum confluant: atque clementia, ut sub potentiæ illius umbra tranquilli securique agant. At vero in te desideratur utraque.

Iniquus regnare nequit;

Perinde ac lupus oves pascere nescit.

Rex,

Rex, qui iniquitatis instituta introduxerit,
Ipse regni sui fundamentum proruit.

Regi purpurati optime monentis consilium ingratum fuit: hinc vinculis oneratum in carcerem præcipitavit. Non multo post patrueles, in regem sumto bello insurgunt, pugnamque conserturi, militem colligunt, patriumque regnum repetunt. Quibus populus, iniquissimis (regis sui) artibus dudum fessus atque pertæsus, imo dilapsus, sese junxit, adeoque fortiter opem tulit; ut regnum iniquitati illius ereptum fuerit.

Si quis Rex iniquitatem in subditos licitam duxerit;
Amicus illius adversis temporibus acerrimus hostis erit.
Cùm subditis pacem colito, ab hostiumque bello securus esto:
Æquo enim regi subditus ipse miles est.

Historia: Rex quidam cum imperito puero navim conscenderat: puer mari nunquam viso, tempestatis, casuumque maris ignarus, plorare & vociferari cœpit, omnibus membris horrido tremore perculsis. Trepidantis clamores ut sisterent, multum quidem, sed frustra blanditi sunt. Quo ipso regis animus misere turbatus; nemo enim inconditis illius clamoribus silentium imponere poterat. Forte sapiens quidam eadem vehebatur navi, qui infit: si imperaveris, ô Rex, ego hunc quidem silentem effecero. Respondet rex: Hoc maximum mihi futurum est officium. Sapiens haud cunctatus, puerum in mare præcipitem

dari jubet, maris undis aliquoties obrutum, capillis prehensum, navim versus rapuere. Puer repente ambabus manibus in navis gubernaculum ruit, in navimque (alacriter) enisus, angulum quendam petiit, summumque (omnium cum admiratione,) silentium præstitit. Rex,cui hoc gratissimum erat officium, quodnam illud naturæ sit arcanum, rogat?Sapiens inquit: Primum, quid sit undis rapi & opprimi, non erat expertus; adeoque salutis pretium nesciebat. Ille enim salutis pretium æstimaverit, qui miseriis jactatus fuerit.

O Satur, tibi hordeaceus panis non est gratus:
Meum vero delicium est, quod tuum est fastidium.
Paradisi virginibus Purgatorium est Infernus;
Contra infernales roga, utrum illis Purgatorium non sit Paradisus.
Discrimen est inter eum, qui delicium habet in amplexu;
Et inter eum, qui utroque oculo in foribus circumspectans, illud expectat.

Historia: [h] Hormusum gestandæ coronæ autorem rogarunt, quid criminis in patris tui purpuratis deprehendisti, quod eos carceri inclusisti? Respondit ille, nullum quidem enorme in illis crimen deprehendi; nisi quod mei formidinem in animis illorum viderim immensam, meisque verbis fidem incorruptam atque fiduciam haud habere. Metui itaque, ne perniciem ex me metuentes, mihi molirentur

tur exitium. Proinde rem ex sapientum egi consilio, qui docent:

Illum time, qui te timet, ô sapiens.
Etsi cum ejusmodi centenis bellum gerere possis.
Nonne vides felem, cum desperaverit,
Quomodo tigris oculum ungulis eruat?
Serpens pastoris pedem ideo ferit,
Quia metuit, ne sibi saxo caput conterat.

Historia. Quidam regum Arabicorum in extrema senecta morbo confligtans, omnem jam vitæ spem exuerat: Præter opinionem, ecce eques foribus ingressus, nunciat; tale castellum potentiâ regis subjecimus, hostes servitutem, equites, illiusque loci incolæ omnes, imperii obsequia susceperunt. Rex, audito hoc nuncio, altè ingemiscens ait: Hic nuncius equidem meus minime, sed hostium meorum est; regni scilicet hæredum.

Spe ampliandi regni, metam, ah! attigit pretiosissima vita;
Utinam quod meum in corde est desiderium, foribus ingrederetur!
Spes (expugnandi castelli,) diu animo agitata, jam tandem successit; sed cui bono?
Cum spes superet nulla, vitam redire transactam.
Discessus tympanum [i] fati manus pulsavit:
O duo lumina mea, capiti vale dicite,
O manus vola, ô cubite, ô lacerte,
Singuli, singulis mutuum vale dicite.

Mihi jam quasi lapso, (fatum) hostium scilicet desiderium
Est certum. Vos, ô Amici, (tumulum meum) invisite.
Tempus mihi, blandiente socordiâ, est transactum:
Ego (alterius orbis supplicia) non cavi; sed cavete vos, à me moniti.)

Historia: Integrum annum in templo Damasceno, ad caput sepulchri vatis Iohannis [k], pax sit super illo, consedi. Quidam regum Arabicorum, divini humanique juris immemor, eoque nomine famosus, vatis forte tumulum visitaturus ingreditur, precibusque fusis, necessaria flagitat.

Pauper & dives hujus terræ sunt servi:
Atque ditiores quo sunt, eo magis illâ egent.

Inde vultu in me converso, inquit: Propter grande illud religiosorum pietatis studium, verumque cum Deo commercium, tu bonis votis, ominibusque connitaris, mihique adsistas; acerrimi enim hostis metu, inquies est animus. Respondi ego: *Subdito debili te misericordem præstato, ne ab atroci hoste exagiteris.*

Robusti lacertis, ungularumque vi,
Nefas est, manum miseri impotentis torquere.
Metuat ille, qui lapsis non ignoverit:
Pede si lapsus fuerit, nemo manum illius prehendet.
Quicunque corruptum pravitatis semen sparserit, bonosque fructus speraverit;

Inge-

Ingenium frustra vanis moliminibus concoquit & inania consiliorum monstra captat.
Surdum fingere desine,populoque justitiam administra:
Nisi enim justitiam administraveris, justitiæ, ecce, adest dies.
Posteri Adami, inter se sunt mutua membra;
Quia, teste naturâ,ex una conditi sunt materia.
Si membrum unum calamitate pressum tempus traxerit;
Reliqua neque membra acquiescere possunt.
Tu si aliorum malis non indolueris;
Minime mereris, ut te hominem dixerint.

Historia: Religiosus quidam Bagdadi inclarescere cœpit, precibus, votisque apud Deum mire potens, à [1] Hoschaso Josepho vocatus, itaque compellatus fuit: O Religiose, pro me vota precesque fundito. Religiosus infit: O magne Deus, animam ipsius auferto. Josephus inquit: O bone Deus! quænam hæc sunt, quæ pro me fecisti, vota? Respondet Religiosus: Hæc bona sunt vota pro te, & omnibus Muhammedanis.

O tu potens, invalidos exagitans:
Quam diu tandem tuum iniquitatis forum calidum erit?
Cuinam tibi bono illud rerum arbitrium, regimenque orbis?
Præstat tibi mori,quam mortales exagitare.

Histo-

Historia: Quidam Regum, iniquitate famosus, religiosum quendam rogavit: Inter pietatis, cultusque divini officia, quodnam est præstantissimum? Respondit ille: Tibi somnus medio quidem die; ut illo temporis spatiolo mortales non exagites.

Iniquum quendam ipso meridie vidi dormientem:
Dixi ego; iniquus iste humani generis pestis est; somno iraque oppressum esse satius est.
Cujuscunque somnus vigiliis præstat;
Illi pariter mori melius est, quam male vivere.

Historia: Regem quendam fuisse, audivi, qui integras noctes epulando, potando, cæterisque cuticulæ lenociniis traducebat, & in medio ebrietatis æstu ita accinere solebat:

Mihi in hoc terrarum orbe, hoc uno momento nihil est jucundius:
Neque de bono, neque de malo solicitus; neque ullius rei dolore afficior.

Pauper quidam nudus, foris in horrido frigore jacens, audito hoc Regis carmine, infit:

O tu, qui potentiâ in hoc orbe non habes parem:
Ponamus, (te eo felicitatis evectum,) ut de te nihil sis solicitus; sed nonne de nobis miseris solicitus eris?

Regi hæc pauperis verba grata fuerunt, illique crumenam mille aureis plenam, è fenestra protendens, inquit: O Religiose, sinum aperias.

aperias. Respondet ille: sinum quinam aperiam, cum vestem non habeam? Rex misero hominis statu, majori dolore & misericordiâ affectus, præter aureos & togam addidit, miseroque (foris præstolanti) misit. Religiosus, illo auro per breve temporis spatium absumto, atque profuso, rediit.

Numi in religiosorum manu locum stabilem non habent;

Nec patientia in animo amantis, neque aqua in cribro.

Rediit autem tempore intempestivo, quando Regi illi vacare non licebat. Regi hominis statum indicarunt, qui vultu ad indignationem adseverato, ne hominem quidem est intuitus. Proinde viri, sapientiâ rerumque usu clari, dixere: Cavendum esse à vehementia & furore Regum. Plerumque enim animus illorum gravissimis regni distringitur negotiis, adeoque importunitatem vulgi tolerare nequeunt.

Illicitum sit illi beneficium Regis;
Qui oportunitatem ejus captare nescit.
Orationis oportunitatem nisi præsentem videris,
Tu, inanibus nugis, ne te hordeaceum oratorem præstes.

Rex itaque infit: Ejicite impudentem prodigumque mendicum istum, qui tantum beneficium, tam modico temporis spatio, decoxit. An nescit ille, [m] Sacræ ædis ærarium, buccellam esse pauperibus; non vero epulas Diaboli sodalibus?

Si

Si quis ſtolidus ipſo meridie cereum accenderit,
Illico videbis, obſcura nocte lampadi ipſius defuturum oleum.

Quidam ex purpuratis Regis, qui conſilio meliora docere ſolebat, inquit: Mihi, ô Rex, conſultum eſſe videtur, ſimili hominum generi, vitæ neceſſaria, præſcripto tempore, parcius ſubminiſtrare; ne ſuppeditata vitæ ſuſtentandæ prodigant. Illud vero, quod miſerum vexandum, foribuſque extrudendum imperaſti, magnatum virtuti reclamat: Hominem ſcilicet beneficiis liberalitateque ad bonam ſpem erigere: mox rurſus ſpe omni ſuccisâ, animi dolore afficere.

Liberalitatis portam aperire vix decet:
Cum vero aperta jam fuerit, illam ſeveritate occludere dedecet.
Nemo viderit ſitibundos Meccæ peregrinatores,
Ad aquæ ſalſæ ripam confluere.
Ubicunque fons fuerit dulcis;
Homines, volucres & formicæ illuc concurrunt.
Avis in illum pervolat locum, ubi pabulum fuerit:
Locum non petit, ubi pabulum deficit.

Hiſtoria: Quidam Regum priſcorum, regni ſubditos negligebat; militem vero tenaciter atque penuriâ quâdam alebat. Cum vero acerrimus quidam hoſtis, contra Regem bellum ſumeret; omnes fugá dilapſi ſunt.

Quicunque ſtipendia, ut rem (ſibi) nimis caram,

caram, equiti subtrahit:

Tum equiti, nimis carum videtur, (pro eo) manum ferro admovere.

Quidam ex illis, qui officio suo defuerant, mecum amicitiam colebat: quem itaque; ut fugitivum, corripui, inquiens: Contemtus, inglorius, vilis atque vecors est, qui ob leve momentum, à veteri domino defecerit, fasque tot per annos beneficiorum, animo obliteraverit. Respondit ille: Si tibi (facti mei rationem) dixero, excusatum me habebis. Fas numquid est, ut equus meus sine hordeo contabescat, ephippiique stragulum in pignore putrescat? Quicunque Princeps stipendium equiti per avaritiam subtraxerit, pro ipso animæ liberalitatem ostendere non oportet.

Forti militi aurum dato, ut caput discrimini exponat:

Aurum nisi dederis, te deserto, ad alium transierit.

Vir fortis si satur fuerit, generoso impetu (in hostem) irrumpit:

Si vero inani fuerit ventre, fugam alacriter capessit.

Historia: Purpuratorum quidam, munere suo dejectus, religiosorum consortio sese adjunxit: quorum laudatá conversatione penitus occupatus fuit, illique (tot miseriis, tantaque rerum mole fesso,) gratum fuit animi otium. Post aliquod temporis spatium, Rex illi denuo propensus, regimen mandat; Sed ille hisce verbis abnuit: ***Præstat me dignitate***

motum

motum (otio frui,) quam cuncta regendi onere districtum esse.

Quicunque vitato mortalium consortio, solitariam vitam instituerint;
Dentes canis, malignorumque hominum ora obstruxerunt:
Procacia scripta lacerarunt, vituperandique calamum fregerunt:
Manum, linguamque Zoilorum effugerunt.

Rex infit: Nobis, omni prorsus modo, vir quidam sublimi praeditus ingenio, opus est: quiRegni molem feliciter sustinere possit. Purpuratus respondit: *Viri regimini paris, praeclaroque judicio praediti index est hic, quod se huic oneri subjicere nolit.*

Aquila [n] omnium avium ideo censetur praestantissima;
Quoniam vescitur ossibus, caeteraque animantia non dilaniat.

Parabola: [o] Atram Auriculam rogarunt, te quidnam adeo delinivit, quod tibi leonis consortium sumseris, illique, mirâ officiorum promtitudine blandiaris? Respondit: Ut praedae illius reliquiis vescar, ab hostiumque truculentia tuta sub illius potentiae umbra vitam transigam. Ad haec dixerunt: Cum sub patrocinii illius umbram concesseris, beneficiaque illius extuleris, quid non propius leonem accedis; ut te lectissimorum consortio inserat, teque ex praestantioribus ministris habeat? Respondit (illa): Hoc tuum si sequar consilium, propiusque accessero; ne unum quidem momentum à furore illius secura ero.

Igni-

Ignicola etsi centum annos ignem accenderit;

Si unum momentum in ignem inciderit, ille cultorem suum exurit.

Accidere solet, ut purpuratus Regis, aurum quandoque acquirat: fieri quoque solet, ut & caput quandoque perdat. Hinc sapientes dixêre: Magna prudentiâ cavendum ab inconstanti Regum ingenio. Quandoque enim, dicta salute, ira accenduntur: quandoque vero contumeliis mire capiuntur, ut togam atque munera præstent. Sapientesque dixerunt: Multi lepores Purpuratis virtus; sapientibus vitium est.

Tu (morum gravitate) authoritati & honori tuo studeas.

Jocos & facetias purpuratis relinquas.

Historia: Quidam sodalium adversa temporum fata mihi questus, inquit: Res mihi est tenuis, expensæ multæ ob numerosam familiam; adeo, ut grave illud paupertatis onus sustinere nequeam. Animus aliam adire terram subinde suadet, ut qualicunque modo vitam transigam, mortalibusque vitæ meæ genus, amplum, an miserum sit, ne innotescat.

(In orbe peregrino) multi obdormiverunt inedia vexati; nemoque, qui fuerint, scivit.

Multi quoque animam efflarunt, quos nemo luxit.

Rursus tamen inimicorum ludibriis retineor, qui me absentem sint illusuri; meque ob familiæ onera, sive expensarū causa discedentem,

tem, inhumanum atque vecordem sint exagitaturi, dicentes:

Hem impudentem illum! qui nunquam
Videbit felicitatis faciem.
Cuticulæ delicias legit sibi;
Conjugem, prolemque paupertate pressos
deserit.

Egoque scientiæ Arithmethicæ, prout constat, nonnihil peritus; si itaque vestræ dignitatis studio, aliquod tenue munus mihi assignari possit, quo animum curis fessum colligere liceat; quamdiu certe superstes ero, tantum beneficium laudibus satis evehere nequeam. Respondi ego: Mi Sodalis: Regis negotium, duos (contrarios) apices habet; Panis spem, vitæque discrimen. Sapientum vero consilio renititur: Illâ panis spe illectum, vitam discrimini dare.

Nemo pauperis tugurium adit,
Dicens; soli vineæque censum dato.
Tuque aut miseriæ & paupertati suescere
& contentus (sorte tuâ) vivere discas;
Aut gulam corvo exponas.

Sodalis respondit; Hæc, quæ tu dixisti, verba, conditioni atque petitioni meæ sunt adversa. Nonne audivisti, quod dicere solent? Quicunque fraudes committere suevit, manus illius trepidat.

Rectitudo amorem divinum conciliat;
Egoque vidi neminem, qui in rectitudinis
viâ perierit.

Sapientesque dixere: Quatuor sunt mortalium genera, quæ contra quatuor acerrimo lacessun-

lacessuntur odio. Prædo contra regem: fur contra vigilem: luxuriosus contra censorem: scortum contra prætorem. Illi vero, quibus constat rationum suarum probitas, quorsum rationem reddere trepidant?

In actionibus tuis gloriosus ne esto: si vis,
Ut te munere moto, angustum hostis illudendi habeat campum.
Tu purus esto, ô frater, neminemque pavescas:
Lotores enim vestes impuras saxo allidere solent.

Adhæc ego respondi: Ad conditionem tuam non inscite alludere videtur illa vulpeculæ historia; quam fugâ festinam, subinde lapsantem atque resurgentem viderunt: Quidam illam allocutus, rogavit: Quidnam sceleris tanti pavoris causa est? Vulpecula respondit: Audivi ego aucupes in agris capturos camelum, ad servilia officia cogendum. Ad quæ illi per ludibrium dicunt: O insipiens vulpecula: cameli enim tecum quænam comparatio? aut tua, cum illo, quænam similitudo? Vulpecula inquit: taceto, nam si de industria forte dixerint inimici, hæc (vulpecula) camelus est, illoque nomine capiar, quis de me liberanda solicitus erit? ut scilicet in actionum mearum rationes & veritatem inquirant. Atque antequam Theriaca petatur Bagdado, homo serpente ictus, extinctus fuerit. Tua equidem, ut novi, mi sodalis, ea est virtus atque rectitudo, sed insidiatores in occulto latent, accusatoresque in angulo desident. Quamvis hæc morum

morum tuorum ſit integritas, illi tamen contrarium deferunt; quorum (pertinaciſſimo niſu) tu correptioni Regis ſubjiceris, atque ſic in regios ſtimulos ruis. Quiſnam iſto rerum tuarum articulo verbum facere auſit? Proinde hoc mihi conſultum eſſe videtur, ut continentiæ theſaurum diligenter colas, iſtudque dominandi ſtudium rejicias. Sapientes enim dixerunt:

In mari bona quidem ſunt infinita:
Sed tu ſalutem ſi deſideraveris, eam in litore quæras.

Sodalis his verbis meis commotus, iraque plane accenſus, aſpera oratione, ſtimuliſque plena, me hunc in modum, aggreſſus ait: Hoc quodnam eſt ingenium? quale judicium? quinam intellectus, atque prudentia? Veriſſima Sapientum eſt ſententia, cujus effatum hoc eſt: *Amici carcere concluſis ſuccurrunt; in convictu atque epulis, inimici etiam omnes, amici eſſe videntur.*

Amicum ne arbitrator illum, qui in epulis, felicique tempore,
Magnas ſodalitii voces, fraternitatiſque popiſmata jactat.
Amicum noſco illum, qui amici manum prehendat.
Tempore infelici, deſperatiſque rebus.

Vidi ego ſodalem, oratione mea turbatum, conſilium meum, invitis auribus obmurmurantem audire. Proinde Proregem, tribunalis ſcilicet Principem, antiquæ, quæ inter nos interceſſerat, familiaritatis obtentu acceſſi, ſodaliſque

lisque statum commendavi; ut illum levi muneri præfecerint. Quo per aliquot dies administrato, ingenii illius comitatem perspexerunt, regiminis dexteritatem probarunt, indeque altiori munere ornatus fuit. Eoque modo astrum felicitatis illius magis inclarescere cœpit; ut laudem, & summum, ex animi sententia, fastigium contigerit, regisque delicium evaserit, adeo, ut mortales digitis illum monstrarent, proceresque spem & fiduciam in illo ponerent. Egoque hac status illius prosperitate lætans, dixi:

Auspicia si rebus tuis statim non annuerint, ne sis solicitus, animumque curis turbato:
Ipse enim vitæ fons in densissimis est tenebris.
O tu miseriæ frater nequaquam tristator;
Deus enim misericors beneficia plurima recondita habet.
Ne iniquitate temporum mœstus sedeas:
Patientia enim.
Amara quamvis sit, fructus tamen dulces edit.

Illo florente, mihi forte cum aliquot sodalibus Meccam adire contigit. Peractis Meccæ pietatis officiis, mihi redeunti duorum dierum itinere obviam venit. Tristem video hominem, religiosorum habitu indutum. (Novitatis avidus) rogo, quæ ista sit rerum facies? Respondet ille: perinde ut tu pridem monueras, aulicum illud hominum genus, æmulum, mihique infensum, res novas me moliri

criminati sunt. Rex in cognoscenda rei veritate nullum inquirendi fecit studium, Sodales antiqui, amici benigni in vero dicendo silentium fecêre, pristinumque amicitiæ vinculum, commerciumque exuerunt.

Si quis fato suo dignitatis fastigio ceciderit,
Orbis universus pedem capiti illius imponit.
Si vero manum ejus potentiæ, felicitatisque culmen viderint amplexam;
Laudantes P manus pectori imponunt.

Ut rem paucis absolvam, vario cruciatuum genere exagitatum,: hac tandem hebdomada, qua salvus Meccæ peregrinatorum nunciatus est reditus, gravissimis vinculis exolverunt; facultates vero meas, hæreditatis jure à majoribus quoque acceptas, fisco adscripserunt. Ego illi respondi: Tum temporis, quando hæc ita eventura tibi, præmonui, consilium meum non admisisti: Regum scilicet negotia, perinde se habent, ut itinera maritima; quæ quæstus, discriminisque sunt plenissima: maximas aut divitias acquiris; aut inter maris tempestates, aulæve scenas & lenocinia peris.

Aut aurum utraque manu exportaverit (salvus) mercator in littus:
Aut illum, uno die, unda mortuum in littus ejecerit.

Consultum minime ratus, dicto ulterius animi ipsius vulnera exacerbare, salque aspergere; quin hisce duobus versibus rem omnem complexus; dixi;

Num-

Numquid ignoras te jam vidisse compedes
pedibus injectos,
Cum viri consilium auribus admittere nolueris?
Alia vice, si aculeum sustinere non poteris,
Ne Scorpionis foramini digitum immittas.

Historia: Aliquot viri meo consortio sueti singularem pietatis habebant speciem: hinc primorum quidam de illis optime sentiens, certam vivendi stipem adscripsit: forte quidam illorum facinus patravit minus religiosum, quo corrupta est bona magnatis sententia, solitumque ablatum est beneficium: Quod ego sodalibus quocunque modo recuperaturus, Magnatem ipsum adire constitui: janitor me aditu prohibens, contumeliis infestat; sed hominem facile excusatum habui, ob rationem, quam sapientes afferunt, dicentes:

Magnatis, Purpurati, Regisque fores,
Sine duce (intrandi studio) ne frustra oberres.
Canis atque janitor, si externum invenerint;
Hic supremam thoracis oram, ille pallii imam captat.

Illico ubi familiares Magnatis, me adesse resciverunt, me incredibili benevolentiâ introduxerunt mihique supremum locum adsignarunt: ego vero humilitatis causa inferiori consedi loco, inquiens:

Sinas me, quia servus sum miser;

Ut in servorum ordine considеam.

Magnas infit : Vah, Vah! horum verborum quænam est sententia?

Si tu in capite, oculoque meo consederis;

Lepores tuos lubens toleravero : tu enim es vere lepidus.

Rem ut paucis complectar, consedi, omnisque generis sermones lepide sum exorsus; ut tandem historiâ lapsus sodalium in medium tractâ, ita (rem ipsorum promovere) occœperim.

Quid criminis vidit Dominus, qui tot beneficia contulit;

Quod servum animo averso contemnere cœperit?

Soli Deo propria est majestas & munificentia:

Qui crimina cernit, victumque ex solito subministrat.

Præfecto grata hæc mea fuit oratio, jussitque, ut sodalibus, more pridem solito, vitæ necessaria promptissime præstarent, quamque per aliquot dies, abrupto stipendio, subierant angustiam, liberalitate pensarent. Ego gratiis benevolentiæ illius actis, solum humiliter osculatus, importunitatis veniam petii, & sub discessum, hæc verba dixi:

Cum q templum Meccanum mortalium preces audiat, ideo ex remotis provinciis

Illud visum adeunt per multa milliaria.

Te Magnatem decet, nobis pares ferre pauperes:

Nemo

Nemo enim lapidem in arborem jactat sterilem.

Historia: Regis cujusdam filius, immensis hæreditate paternâ potitus est divitiis, apertâ munificentiæ manu, dona liberalissime dedit, infinita munera equiti, subditoque præstitit.

Nil grati odoris spirat patina ligni Alois
plena:
Igni (Aloen) imponas; ut Ambræ instar
odorem, spiret.
Magnitudinem si ambiveris, munera dato.
Granum enim ni sparseris, minime crescit.

Vecors imprudensque quidam purpuratus regem monere cœpit, inquiens: Majores tui istas divitias magno labore acquisiverunt, usibusque seposuerunt necessariis. Proinde tu quoque manum à liberalitatis studio contineas: A fronte enim insperati casus, à tergo imminent hostes: turpeque sit, si necessitatis tempore inopiâ opprimaris.

Si universo populo thesaurum distribueris,
Cuivis patrifamilias vix teruncius cesserit,
Quidni à quovis hordeaceì grani instar argentum accipis,
Vt singulis tibi diebus thesaurus nascatur?

Accensus his purpurati verbis Regis filius, qui, haud probato ipsius consilio, inquit: Æternus magnusque ille Deus, me hujus Regni regem constituit, ut comedam & distribuam: minime vero custos sum, qui æs defodiam atque conservem.

r Carun interfectus est, quia quadraginta habuit domos ære plenas.

Nuschirvanus non obiit, quia bonum (munificentiæ) nomen posteris reliquit.

Historia: Narrant historiæ; justo Nuschirvano in venatus campo, prædam à suis assatam fuisse; deficiente forte sale, servum in proximam villam miserunt, qui sal afferret: Monenti Nuschirvano, ut sal pretio emeret, ne malus mos inde natus, (luxuriante iniquitate,) villam vastaret; inquiunt ministri: Ex re adeo parvi momenti, quid damni surgere potest? Nuschirvanus respondet: *Iniquitatis initia in hoc orbe primum fuerunt exigua, quæ à posteris paulatim aucta, in tantum adolevere, (ut totum terrarum orbem oppresserint.)*

Si Rex ex subditi horto unum pomum comederit;

Servi ipsius arborem ipsam eruerint.

Si Rex quinque ovorum iniquitatem licitam duxerit;

Continuo milites ejus mille gallinas veru fixerint.

Non restat iniquus iniqui temporis autor;
Restat vero æternum super illo dirissima execratio.

Historia: Iniquum quendam fuisse audivi quæstorem, qui subditorum penates vertebat, ut ærarium regis expleret, ignarus hujus Sapientum sententiæ: Quicunque altissimum Deum offendit, ut unius hominis animum sibi devinciat; Deus altissimus hominem illum contra istum accendit, & exstimulat, ut

illius stirpem ex temporum memoria deleat.

Grassantis incendii flamma non facit in ruta sylvestri,
Quod fumus gemitusque animi oppressi.

Facete dicere solent: Omnium animalium Princeps est Leo, infimus est Asinus, nihilomus concordi prudentium sententia, Asinus, qui onera bajulat, Leoni homines dilaceranti præstat.

Miser asinus etsi quidem rudis,
Propter tamen sarcinas, quas bajulat, certe venerandus.
Boves asinique onera bajulantes,
Præstantiores sunt hominibus, qui mortales misere divexant.

Regi illius scelera detestandique mores ex parte innotuerunt; ille itaque hominem in quæstionem rapuit, varioque tormentorum genere extinxit.

Amor principis non conciliatur,
Nisi subditorum animos devinxeris.
Si vis, ut Magnus ille Deus tui misereatur,
Tu Dei creaturis benefacito.

Quidam illorum, qui præter fas dirissime ab illo exagitatus erat, interfectum præteriens, inquit:

Non quivis, qui potens est, magistratumque gerit.
In dominatione, mortalium opes impune vorat.
Fieri potest, ut quis gutture os grande deglutiat:

Verum id ventrem dilacerat, cum circa umbilicum obstructum adhæserit.

Historia: Narrant historiæ, militem quendam dirum humani generis vexatorem, religiosi cujusdam caput saxo lacerasse. Religiosus cum injuriam ulcisci nullo modo posset, saxum asservavit; donec Rex militi graviter infensus, vincula injecit: Tum religiosus ingressus, militis caput eodem saxo percussit. Militi, quisnam tu, & isto saxo caput meum quare percussistis roganti, respondet: Ego religiosus ille sum, illudque saxum illud est saxum, quo tali anno mihi caput lacerasti. Infit miles: sed tot per annos ubinam latuisti? Respondet Religiosus: Dignitatis & potentiæ tuæ metu retentus fui: jam vero; ubi te carceri vidi inclusum, occasioni serviendum esse duxi.

Hominem indignum, potentem si videris;
Sapientes illi adstipulandum esse consultum duxêre.

Nisi lacerantem ungulâ habueris acutam;
Improborum contentionibus abstinere, satius erit.

Quicunque cum chalybeo lacerto manum conseruerit;
Argenteum suum brachium lædit.

Patiens esto, donec manum illius tempora ligaverint:
Tum ex amicorum lubitu, cerebrum ipsi extrahas.

Historia: Quidam Regum atrocissimo morbo conflictabatur, cujus certe morbi meminisse horridum parumque decorum. Sapientes Græco-

Græcorum consentiente ore, dixerunt: Huic morbo remedium esse nullum, nisi fel hominis, qui certis indiciis insignis foret. Regis jussu quærunt, rusticique cujusdam filium illis sapientum indiciis insignem inveniunt. Rex accersitos pueri parentes auro, infinitisque muneribus ita corrupit, ut lubenti animo, filii cædem concesserint. Sacer Ecclesiæ Judex sententiam tulit: Per religionem, fas & licitum esse, conservandæ sanitati Principis, subditum cædere. Carnifex ecce, dum ictum minitatur; filius, oculis in cœlum levatis, ridere cœpit. Quo viso, Rex rogat: Quænam tibi hoc in rerum articulo, est ridendi materies, locusve? Respondet filius: Filii refugium, suetæque filiis mollitiei receptaculum sunt ipsi parentes. Causarum controversias ad (sacrum) Ecclesiæ judicem ferunt mortales. A regibus vero jus & fas requirunt. Res autem nunc mea eo devenit; ut pater & mater per avaritiam, mundi delinimentis illecti, (exuto omni humanitatis jure) me jugulandum tradiderint. Judex cædem meam (servandæ valetudini Regis,) jure divino licitam esse, sententiâ pronunciaverit. Rex vero ipse, salutem suam in cæde mea viderit. Adeo, ut præter Altissimum Deum, nullum refugium habeam.

A quo factæ mihi à te injuriæ opem, solatiumque petam?
Te judice, factæ mihi à te injuriæ, à teipso justitiam flagito.

Rex motus his pueri verbis indoluit, oculisque lacrymarum flumine perfusis, inquit: Me

 mori

mori præstat, quam innocentis sanguinem effundere. Hinc pueri caput, oculosque osculatus, eumque amplexus, muneribus infinitis cumulatum liberalissime dimisit. Narrant quoque: Regem illa ipsa hebdomada ab atrocissimo morbo convaluisse.

Recenti etiamnum memoria teneo illum versum,

Quem elephantis rector in Nili ripa (quondam) dixit.

Quod si nesciveris; quæ formicæ tuo sub pede sit ratio:

Eadem plane est, quæ tua sub pede elephantis.

Historia: Quidam mancipiorum [f] Omeri filii Leisi fuga elapsus; ab insectantium manu correptus, denuoque reductus fuit. Prorex illi infensus, (Regem) signis in cædem illius concitavit; ut scilicet cæteris mancipiis exemplo foret; ne simile auderent flagitium. Mancipium, coram Omero capite humi posito, inquit:

Quicquid capiti meo acciderit, si tibi lubuerit, fas erit:

Mancipium enim quomodo contenderit; cum domini sit judicium?

Cum vero domesticus ædium harum sim alumnus: nolim profecto, ut in extremo resurrectionis die, propter cruorem meum ad supplicium rapiaris. Si hunc servum tuum trucidare omnino volueris, tum saltem aliquâ sacri juris specie, nomineque interficias: ne in extremo judicio supplicio afficiaris. Rex inquit:

quit: Quænam eſt illa juris ſpecies? Reſpondet ille: Mihi permittas primo Proregem interficiam, deinde vindictæ illius de me ſupplicium ſumas, ut me jure interfeciſſe dicaris. Rex ridens Proregi inquit: quid tibi videtur? Prorex infit: ô Rex per patris tui manes hominem iſtum ſceleratū dimittas, ne meipſum etiam ſuppliciis illaqueet: quippe mei mali autor mihi ſum ipſe eo, quod conſilium Sapientum nullo in pretio habui, qui docent:

Cum [t] funditore ſi prælium commiſeris,
Proprium caput vecordiâ vulneras.
Tu ſi ſagittam in hoſtem miſeris;
Caveas, ſagittæ illius ictum expectes.

Hiſtoria: Rex Sūſorum, ſcribarum præfectum habuit ingenio comem, virtutiſque præclarum, qui præſentes officiis, abſentes bonis ſermonibus, ominibuſque colebat. Forte rege præſente aliquando (leviter) peccavit, qui illum proinde, bonis injuſtè ablatis, tormentiſque ſubjici imperavit. Prætores Regis (cuſtodiæ viri) additi, accepta florenti ipſi palam ferebant beneficia, ſeque pari reddendorum officiorum jure teneri, agnoſcebant. Proinde benigne & humaniter habuerunt, ipſumque duriter tractare, injuriis afficere, neſas duxerunt.

Amicitiam cum inimico ſi volueris, tum
quovis tempore cum ille te,
Abſentem injuriis laceraverit, præſentem
laudibus extollas.

*Contumelia certè ex maligni vituperatoris ore
profluit:*

Si verbum illius amarum nolueris, os ejus dulcedine oblinas.

Æris autem, quod Rex ab illo flagitavit, partem dedit: ob reliquum, cum non solvendo esset, in carcere retentus fuit: Quidam vicinorum Principum, illi occultas sequentis argumenti misit literas. Loci tui Principes magnitudinis tuæ pretium nesciverunt, inhumaniterque te tractarunt. Quod si celsus iste animus, cujus extrema magnus, ille Deus; tempora beet, huc concedendi munus fecerit; in honorandis virtutibus illius, majori virtute certabitur. Quippe regni hujus Primores magno illius videndi studio flagrant, literarumque responsum avidissime expectant. Scribarum Præfectus, lectis literis, discrimen animo versans, breve, quemadmodum consultum videbatur, responsum, literarum tergo inscripsit, (hominemque) dimisit. Quidam ex regiis ministris negotium rescissens, Regi indicat inquiens: Ille scribarum Præfectus, quem tu in carcerem conjecisti, cum vicinis Principibus literarum commercium habet. Quo Rex accensus, in rei veritatem inquiri jubet. Comprehenso itaque cursore literarum latore, Regi (sequentis argumenti) literas recitarunt. Bona procerum opinio major est servi virtute, laudatamque illam operam, quam in suscipiendo me, obtulerunt, propter sequentem rationem accipere nequeo. Sum enim (antiquus) hujus aulæ alumnus, propterque leve momentum, abalienato (infensoque) animo, in beneficentiæ suæ patronum, obsequii datæque fidei religionem

gionem violare, grande nefas est; prout dixerunt:

Illi, qui tibi quovis momento nova beneficia præstat,
Ignoscas; si tibi per longum vitæ spatium semel injuriam fecerit.

Regi gratum fuit recte beneque censentis judicium, muneribus togaque præstitis, injuriæ illi factæ veniam petiit, inquiens: Peccavi equidem, quod te innocentem indignis modis exagitavi. Respondet ille: ô Rex hic servus tuus (quicquid patratum fuerit) in te nullum crimen videt; quin fato & summi Numinis voluntate factum id fuisse video, quod malis me percellere voluit: præstatque per te,(quam alios) mihi injuriam fieri: ut qui me multis à longo tempore affeceris beneficiis, exprobandique facultatem habeas.

Si populus tibi damnum fecerit, ne dolore afficiaris:
A populo enim nec beneficium, neque damnum nascitur.
A Deo esse scito, inimici adversationem, atque amicum.
Utriusq;enim animus in illius est potestate.
Sagitta, quamvis palam quidem ex arcu (emissa) procedat;
Sapientes tamen ejus autorem sagittarium spectant.

Historia: Regum Arabicorum quidam tribunalis ministris imperavit, cujusdam viri stipendium geminarent, ut diligentissimi aulæ ministri, ad omnia imperia attentissimi; cæteris, blan-

Iniquus his ipsius verbis accensus, fronte contracta, virum nullo humanitatis officio coluit. Tandem nocte quadam, incendium (forte) in culina ortum, lignile invasit, omnia bona illius vastavit, illumque ex molli lecto in calidos cineres posuit. Tum temporis cordatus forte iniquum præteriens, apud amicos suam infelicitatem deplorantem, itàque dicentem audivit: Nescio equidem, incendium illud quo modo in ædibus meis ortum fuerit. Respondit cordatus: *Ex fumo miserorum ingementium.*

Caveas gemitus animorum vulneratorum:
Gemitus enim animi vulnerati, tandem certo penetrant, (teque evertunt.)
Dum potes, ne unius quidem animum dolore afficias:
Unum enim oppressi suspirium orbem terrarum vertere potest.

y *Cosrois coronæ inscriptum fuit.*

Quid multi anni, quid vita longa?
Mortales enim in hoc terrarum orbe, vestigiis pedum capita nostra calcabunt.
Perinde ut Regnum ex longa regnantium serie ad nos pervenit;
Ita etiam ex manu nostrâ in aliorum manus transire debet.

Historia: Quidam artis Atlethicæ summum attigerat fastigium, præclaraque trecenta sexaginta artis illius exempla noverat, singulisque diebus novum artis genus ostendebat. Atle-

Iniquus his ipsius verbis accensus, fronte contracta, virum nullo humanitatis officio coluit. Tandem nocte quadam, incendium (forte) in culina ortum, lignile invasit, omnia bona illius vastavit, illumque ex molli lecto in calidos cineres posuit. Tum temporis cordatus forte iniquum prætériens, apud amicos suam infelicitatem deplorantem, itàque dicentem audivit: Nescio equidem, incendium illud quo modo in ædibus meis ortum fuerit. Respondit cordatus: *Ex fumo miserorum ingementium.*

Caveas gemitus animorum vulneratorum:
Gemitus enim animi vulnerati, tandem certo penetrant, (teque evertunt.)
Dum potes, ne unius quidem animum dolore afficias:
Unum enim oppressi suspirium orbem terrarum vertere potest.

y *Cosrois coronæ inscriptum fuit.*

Quid multi anni, quid vita longa?
Mortales enim in hoc terrarum orbe, vestigiis pedum capita nostra calcabunt.
Perinde ut Regnum ex longa regnantium serie ad nos pervenit;
Ita etiam ex manu nostrâ in aliorum manus transire debet.

Historia: Quidam artis Atlethicæ summum attigerat fastigium, præclaraque trecenta sexaginta artis illius exempla noverat, singulisque diebus novum artis genus ostendebat. Atle-

Atletha cujusdam discipuli pulchritudine atque amore illectus, puerum illum trecenta quinquaginta novem artis docuit genera, uno sibi reservato. Puer ad summum artis fastigium, justumque corporis robur pervectus, neminem sibi parem habuit, qui cum illo in arenam descendere auderet. Proinde gloria fastuque superbus, Regem convenit, inquiens: Magister meus me præstantior e tætate atque disciplina; cæterum ego robore ipso minime sum inferior, arteque omnino illi par. Regi hic juvenis fastus, morumque superbia ingrata fuit: proinde certamen (contentionis arbitrum) decernit. Stato igitut loco amplissimo, præsentibus Regni purpuratis, juvenis perinde ac gravis vino [z] Elephas, singulari quodam fastu & robore superbus incessit, ut ferreum montem loco proruturus videretur. Magister haud ignarus, juvenem se robore corporis esse longe superiorem, ideoque ignoto illo artis genere, sibi soli reservato, juvenem invasit; quod juvenis celatum sibi, nullo prorsus modo eludere potuit. Juvenem itaque ambabus manibus humo levatum capiti imposuit, indeque solo allisit, magno conclamantis populi applausu. Rex magistrum toga, & muneribus; Juvenem vero injuria & contumeliis affecit: quod scilicet sese magistro suo, ut parem opposuerit, & nihil præstiterit. Respondit juvenis: ô Rex, magister non vi atque robore; sed uno illo artis Athlethicæ genere, mihi semper celato, hodie me superavit. Magister ait: propter ejusmodi diem, mihi hoc servavi artis genus, sapien-

ſapientum conſilio doctus; qui inquiunt: *Amico, ne tantum roboris dederis, ut, ſi inimicus fiat, te ſuperare poſſit.*

Nonne audiviſti, quid dixerit ille, qui in alumno ſuo ingratitudinem atque contumelias expertus fuit?

Aut promiſſorum fides in hoc terrarum orbe nulla unquam fuit;
Aut nemo eam hoc tempore præſtat.
Nemo ex me ſagittæ jaciendæ artem didicit;
Quin me poſtremo ſagittæ ſcopum fecerit.

Hiſtoria: Religioſus quidam contemptis mundi delinimentis, in campi cujuſdam angulo deſederat; forte Rex quidam illac tranſiit. Religioſus autem iſto ſtudio, quod continentiæ eſt, rebus mundanis abſtinens, caput non extulit, Regemque nullo prorſus officiorum genere coluit. Rex autem, per uſitatam regibus impotentiam, ira accenſus, ait: Illud hominum genus, laceris pannoſiſque veſtibus indutum, ſimile eſt beſtiis. Prorex religioſo ait: Orbis terrarum Rex te prætereriit, quidni coluiſti officiis, bonorumque morum jus & fas exhibuiſti? Religioſus inquit: Regi dicito; *Officiorum ſpem ponas in illo, qui beneficii ſpem in te poſuerit*: Prætetea ſcias quoque: Reges eſſe, ut ſubditos cuſtodiant: non ſubditos, ut Regibus obediant.

Rex paſtor eſt pauperum;
Etſi ſubditorum felicitas potentiæ illius lacerto ſubſiſtat.

Grex

Grex non est propter pastorem:
Quin pastor est, ut gregi serviat.
Hodie unum videris felicem atque potentem:
Alterum vero animi dolore, angustiisque vulneratum.
Tu paucos etiamnum dies patiens esto, ut exedat
Terra medullam capitis meditabundi.
Regis subditique discrimen tollitur;
Cum fatum inevitabile irruerit.
Si quis mortuorum sepulchra aperuerit,
Divitem à paupere haud discreverit.

Rex cui hæc religiosi verba armata & penetrantia esse videbantur, infit: A me aliquid petas. Respondit ille: Hoc à te peto, ne ultra mihi molestiam facias. Rex inquit: Igitur bonum aliquod mihi dato consilium. Religiosus ait:

Nunc dum opes in manu habes, sape & (felicitatem) tibi para (æternam.)
Hæc enim potentia & opes ex manu in manus (præcipiti casu) ruunt.

Historia: Quidam purpuratorum [a] Suelnunum Ægyptium adiit, ipsiusque vota & bona omina expetiit, inquiens: Noctes diesque Regiis distringor negotiis, bene quidem de Rege spero; sed tamen supplicium metuo. Suelnun lacrymis effusis, inquit: Si ego Deum altissimum adeo metuerem, ut tu Regem, unus justorum forem.

Si beneficii & supplicii spes abesset,
Religiosorum pes in ipso cœlo foret.

Atque

Atque si purpuratus Deum ita metueret,
prout Regem, Angelus foret.

Historia: Rex quidam hominem innocentem interficere imperaverat. Miser infit: ô Rex, illâ, qua in me flagras irâ, ne tibi ipsi injuriam feceris. Rogat Rex: Quo modo istuc? Respondet alter: *Supplicium illud uno mecum finit momento: illud vero flagitium tibi restat æternum.*

Vitæ spatium, perinde ut (prætervolans)
deserti ventus, transit:
Amarum, dulce, turpe, pulchrumque præterit.
Opinatur iniquus, quod nobis injuriam fecerit:
Sed in cervice ipsius illa restat æterna; in nobis finit.

Regi hæc innocentis monitio perutilis est visa: proin cædem illi ex animo remisit, & veniam petiit.

Historia: Purpurati Nuschirvani de gravi quodam Regni negotio consultabant; quivis itaque pro ingenio & sapientia sua sententiam dicebat: ipse quoque Rex pariter, ut purpurati, suam promebat opinionem. Busurschumhurus in Regis ivit sententiam. Clam à purpuratis rogatus, quare Regis sententiam, ut præstantiorem, cæteris omnibus prætulerit; Sapiens respondit: Ea de causa, quia incertus & anceps est rerum eventus: omniumque consilia in arbitrio divino sunt; prospere, an secus sint eventura. Proinde sententiæ Regis subscribere tutius est: ut rebus improspere cedenti-

dentibus, obsequii causa ab ira ipsius immunes simus.

In diversam à Rege niti sententiam,
Proprio cruore manus est polluere.
Si Rex ipso meridie forte dixerit, nox est;
Respondendum est: Imo, hem lunam! hem pleiades!

Historia: Impostor quidam crines suos perinde ut [b] sacra Alis progenies [c] revinctos habebat, se sacrum mentiens. Atque in comitatu Meccam religionis causa visentium, urbem ingressus, se Meccâ, peractis pietatis officiis, reversum fingebat. Regi carmen obtulit, cujus etiam se autorem jactavit. Quidam ex purpuratis Regis, eodem anno facta expeditione reversus, infit: Ego hominem istum, in victimarum festo [d] Basræ vidi, quonam modo Meccana veneratione insignis erit. Alius quidam ait: Pater ipsius [e] Melatiæ Christianus fuit, quomodo itaque sacræ stirpis decora acquisiverit? Carmenque ipsius in libro [f] Divan Envari reperitur: quomodo iste illius autor erit? Rex jussit, ut hominem pulsarent atque ejicerent, quorsum enim tot mendacia? Respondit ille, ô Rex orbis terrarum, aliud dicam verbum, quod ni verum fuerit, quovis, quod imperaveris, supplicio dignus ero. Regi quodnam illud sit roganti. Respondit ille:

Peregrinus si (tibi) lac acidum attulerit;
Duæ ejus mensuræ aqua sunt, una lactis.
Si ex servo inconditum quid audiveris, ne offendaris:

Orbem

Orbem enim pererrans mendacia plurima dicit.

Rex in risum effusus, inquit: Hoc verbo per totum vitæ spatium nihil verius dixisti; ipsique, quæ petiit, præstari jussit.

Historia: Purpuratum quendam subditos summâ clementiâ tractasse, omniumque commodis studuisse ferunt. Qui forte Rege indignante in carcerem fuit conjectus; sed universi in liberationem ejus (alacriter) connisi: ipsi adjuncti enim (custodes) in suppliciis illum leniter tractarunt, cæteri vero proceres (insignes) ipsius virtutes Regi laudarunt; adeo, ut Rex ipsi ex animo crimen remiserit. Cordatus quidam rei gestæ certior factus, inquit:

Vt amicorum animum tibi devincias.
Vel patris hortum vendere præstat.
Ut amicis cibum appares.
Omnia ædium utensilia vel accendendo foco comburere præstat.
Tu inimico quoque benefacito:
Satius enim est, canis os buccella obstruesse.

Historia: Quidam filiorum [d] Haruni Reschidis patrem suum accessit, bili accensus, inquiens: Ejusmodi prætoris filius calumnias in matrem meam jaciendo, me injuria affecit Harunus convocatis Regni proceribus, infit: Quodnam dignum hujus injuriæ supplicium? Alius interficiendum esse, signum dedit: Alius elinguandum: Alius bonis ademtis in exilium ejiciendum. Harunus inquit: O fili mi, benignitatis est, ipsi ignoscere. Quod si facere

facere nequis, tu itidem matrem ipsius contumeliâ afficias; sed caveas, ne vindicandi studium, justitiæ limites transgrediatur; alioquin nobis nefas merito attribuetur.

Non vir est ille, judice Sapiente,
Qui cum furibundo elephante prælium committere possit.
Vir ille est ex vero,
Qui accensus irâ vana non dixerit.
Quendam moribus inconditus injuriâ affecit:
Toleravit ille, & extrema tua fausta sint, dixit:
Pejor sum eo, quod (de me) vis dicere:
Certus equidem sum, te mea vitia me ipso non rectius nosse.

Historia: Quondam cum magnatibus navim conscenderam, (nobisque navigantibus) à tergo forte navicula undis oppressa fuit; duoque germani in gurgitem lapsi, (in præsentissimo vitæ periculo versabantur.) Quidam magnatum nautæ ait: Eruas utrumque germanum, ut tibi centum denarios conferam. Nauta, alterum dum eripit; alter haustus mari periit. Quo viso inquiebam: Huic certe non supervivendum erat, ideoque fato ereptio ejus fuit postposita. Nauta ridens infit: Istud dictum verosimile equidem esse videtur. Præterea mihi quoque hunc primo eripere animus erat; ea de causa, quod ille quondam me in deserto itinere fessum atque resistum camelo alligaverit, (& in hospitium devexerit.) Ab altero vero infans quondam probe

probe scutica pulsatus fui. Respondi ego: Justus equidem est magnus ille Deus; qui enim bene egerit, sibi egerit: qui male fecerit, sibi fecerit.

Dum potes, nullius animum vulnera!
In hoc enim (mundi) itinere multæ sunt spinæ.
Miseri inopis malis obstetricator atque subvenito,
Quia tibi etiam mala suboriri possunt.

Historia: Duo fuerunt fratres, alter Regi ministerium faciebat; alter vero improbo manuum labore victum sibi quærebat. Aliquando forte dives pauperi ait: Quorsum tu non etiam Regi inservis, ut grave illud laborandi onus effugias? Respondit alter: Sed tu quorsum non manibus potius laboras, ut illam servitutis vilitatem effugias? Sapientes enim dixerunt: *Proprio pane vesci & sedere melius est; quam aureo cingulo accinctum, servitio adstare.*

Manu ferventem subigere præstat calcem,
Quam eâ pectori impositâ, coram domino consistere.
Vita pretiosa his exeditur curis,
Quid comedam æstate, quid induam hyeme?
O venter ignave uno pane contentus esto;
Ne tergum in (aliorum) servitio incurves.

Historia: Quidam Nuschirvano æquitate celeberrimo nuncium tulit, inquiens: Deus optimus maximus, talem hostem tuum è medio sustulit. Nuschirvanus ait: numquid

numquid

audivisti, Deum me relicturum superstitem?
Mihi hostis obitus non est lætandi materies;
Quia nostra etiam vita non est perpetua.
Historia: Sapientum nonnulli in Cosrois aula de quodam disserebant negotio; silenti Busurschumhuro, dixerunt: Tu quidni in hac controversia tuam etiam dicis sententiam? Respondit ille: Consiliarii similes sunt Medicis, qui non nisi morbo conflictantibus medicamentum præbent. Atqui cum videam judicium vestrum rectitudinis tramite subnixum; verba facere nulla sapientia fuerit.
Si res sine mea cesserit opera;
Meum non est, verba ingerere.
Si vero cæcum, puteumque videro propinquos,
Atque conticuero; nefas erit.
Historia: Harunus Reschides Ægypti Regno potitus, ait: Propter illam nefandi criminis socordiam, quod Ægypti Rex per fastum se Deum venditaverit, nulli nisi mancipiorum vilissimo regnum hoc donabo. Habebat igitur Æthiopem quendam nomine Huseibum, quem Ægypti imperio dignum duxit. Narrant ingenio & judicio adeo stolidum (& bardum) eum fuisse, ut Ægypti agricultoribus ita querentibus; circa Nili ripam gossypium seminavimus; sed intempestivâ pluvia (vel Nilo intempestive redundante) omne periit. Responderit: Seminanda erat lana, ne periret. Cordatus quidam hoc audito, infit:
Si divitiæ ex scientiæ ratione contingerent;
Nemo

Nemo homine inscio egenior foret.
Deus vero rudibus tantas divitias præstat;
Ut centum Sapientes ad illud obstupescant.
Divitiæ & potentia non acquiruntur rerum peritia:
(Nulla certe arte,) nisi divino Numine surgunt.
In hoc terrarum orbe hoc accidit fere,
Ut rudis honoretur; Sapiens vero contemnatur:
Ut Chimicus (anxio studio aurum quærens,) mærore & animi dolore intereat,
Rudis vero in deserto (præter spem & opinionem) thesaurum inveniat.

Historia: Regi cuidam servam Sinensem attulerant; Rex ebrietate gravis, cum illa rem habere voluit; sed renixa est filia. Quo ipso Rex accensus, eam cuidam ex mancipiis natione Æthiopi dedit; cujus supremum labrum ultra nasum erat retortum; inferius ad thoracis oram usque propendebat, vultu equidem adeo deformis, ut ipsa etiam [i] Sachra (prodigiosâ deformitate ipsis quoque furiis terribilis,) ad aspectum ipsius horresceret; ipsiusque [k] axillæ perinde, ut infernalis ille picis fons fœtebant.

Dixeris equidem, ad extremum usque judicium, hunc deformitatis,
Perinde ut Josephum, pulchritudinis exemplum esse.
Homo erat aspectus adeo deformis;
Ut deformitas ejus verbis describi nequeat.

Pixque axillarum ipsius, ô bone magneque Deus!

Ita fœtebat, ut cadaver mense Augusto, (quando Sol maxime fervet.)

Æthiops eodem forte tempore, libidine actus, stimulante lascivia, insanoque amore subactus, illibatam puellam vitiavit. Postridie Rex puellam quæsivit; sed non invenit. Regi per ebrietatem gesta narrarunt: qui mire accensus Æthiopem puellamque, manibus pedibusque probe ligatos, ex castelli tecto in fossam præcipitari jussit. Quidam purpuratorum ingenio comis, moribusque benignus, vultu humi posito intercessit, inquiens: Æthiops utique insons est; cæteri enim ministri omnes, muneribus beneficiisque Regis assueti, (accepta nunquam reddere solent.) Rex purpurato ait: Si niger per unam noctem societatis ipsius commercio abstinuisset, quid (peccatum) fuisset. Purpuratus respondit: Nonne audivisti, ô Rex, illud, quod dici solet?

Siti ustus si clarum fontem invenerit;

Noli opinari, illum de periculo ex furente elephanto solicitum esse,

[1] Hypocrita fame stimulatus, si solus fuerit domi, quæ omnium deliciarum sit plena,

Ratio minime admittit, ipsum jejunii religione (à comedendo) retentum iri.

Regi gratæ fuerunt purpurati facetiæ, proinde dixit: nigrum tibi dono dedi; sed de puella quid facturus sim, dubito. Purpuratus respon-

respondit: Eam nigro donato; quia mediam illius partem jam coniedit: reliqua pars quoque illius merito esse debet.

Illum amicitia dignum minime duxeris,
Qui sordidum locum frequentaverit.
Sitibundi enim animus non expetit aquam
dulcem;
Quam fœtidum aliquod os inde hauriens
reliquerit (infectam.)
Quomodo itaque in Regis manum denuo
redeat
Malum aureum, quod in sordes ceciderit?
Sitibundi enim animus quomodo desideraverit aquam
Ex urceo, ex quo os hauserit dira scabie
sordidum atque erosum?

Historia: Alexandrum Magnum rogarunt: Orientem & Occidentem quomodo tu cepisti, cum prisci Reges ærariis, regnis, ætate, exercituque te longe superiores, eos subigere non potuerint? Respondit ille: Cujusvis regni, quod ductu auspiciisque divinis occupavi, *subditos minime offendi, Regumque nomina bona semper memoria colui.*

Prudentes illum minime magnum vocant,
Qui magnorum nomina contemptu fœdat.
Hæc omnia nihil sunt, cum prætereant;
Fortuna, regnum, imperium, vetitum atque
jussum.
Bonam defunctorum memoriam religiose colito;
Ut tui etiam bona memoria superet æterna.

ROSARII

CAPUT SECUNDUM

De Moribus Religiosorum.

HISTORIA.

Dívitum quispiam religiosum quendam rogavit, inquiens: Quid tu de religiosi illius statu dixeris, quem cæteri omnes certatim vituperant? Respondit ille: Quantum ad externum illius vitæ genus; scelus video nullum. Quantum ad internum; occultorum sum nescius.

Quemcunque in religioso habitu conspexeris,
Religiosum scito, bonumque virum censeto:
Si nesciveris, quid in animo ipsius reconditum fuerit:
Cerealis, quidnam intra ædes negotii habet?

Historia: Quendam Meccæ vidi religiosum, qui capite in templi Meccani limine posito, ingemiscens dicebat: O Condonator maxime! O misericordissime! tu rectissime nosti, quid ab iniquissimo & stolidissimo homine, te dignum proficisci possit.

Deprecationem imperfecti cultus affero;
Obsequio enim meo confidere nequeo.

Im-

Improbi à criminibus resipiscunt:
Deum noscentes imperfecti cultus veniam implorant:
Servi obsequii mercedem requirunt:
Mercatores mercium pretium:
Ego vero mancipium spem, non obsequium attuli;
Mendicusque, non mercator adveni.
Fac mihi itaque, quod dignum est te:
Noli mihi facere, quod dignum est me.
Sive me trucidaveris; sive crimina ignoveris: hem vultum caputque meum limini impositum:
Mihi enim mancipio nullum est imperium; tu quicquid imperaveris; id exequi lubet.

In foribus templi Meccani quendam vidi pauperem,
Qui acerbissime plorans dicebat:
Non dicam ego, meum suscipe obsequium;
Sed remissionis calamo crimina mea dele.

Historia: [a] Abd Elkadir Chilanensis in templi Meccani vestibulo, vultu minutis lapidibus imposito, dicebat: *O Magne Deus, mihi crimina mea ignoscas: Si vero supplicio dignus omnino fuero, me in resurrectionis die cæcum suscitato; ne me in conspectu piorum pudor subeat.*

Mœsto vultu solo imposito dicebam:
Quavis aurora, cum flabat ventus:
O Magne Deus, Tui nunquam oblivíscor:
Numquid tu etiam servi (tui) memineris?

Historia: Fur quidam religiosi cujusdam ædicu-

diculam irrepsit, omnia accuratissime scrutatus, nihil invenit: hinc animi dolores contraxit: Religioso furem adesse suboluit, stragulum itaque, cui incumbebat, in viam, qua furi transeundum erat, projecit: ne scilicet animo mœstus discederet.

Audivi ego, viros divina vestigia terentes,
Ne hostium quidem suorum animos affligere.
Tibi vero, quando gradus iste contigerit,
Qui amicis tuis adversus, prælia moves?

Amor[b] cordatorum in præsentia & absentia semper est idem. Non ita se habent illi, *ut absentis crimina censeant: præsenti vero adulantes victima esse velint.*

Sed (vecordes) coram in præsentia agno mansueto sunt similes:
Clam in absentia lupo homines voranti.
Quicunque aliorum crimina tibi defert & enarrat;
Ille sine dubio crimina tua aliis deferre studet.

Historia: Peregrinatores aliquot peregrinationem unanimi sententia susceperunt, paria miseriæ felicitatisque fata subituri: Ego me illorum consortio jungere volui; sed recusarunt illi. Ego dixi: *A magnatum benevolentia virtutibusque alienum est, vultum à pauperum consortio declinare, illisque beneficium negare.* Ego equidem ipse hoc satis capio & perspicio: me alacrem socium viris servitio; non vero oneri esse oportere.

Si ipse equo quidem vectus non fuero;
Equorum tamen vestrorum stragula feram.

Quidam

Quidam illorum infit: illo, quem audivisti, sermone animum cruciare atque affligere noli. Per hosce enim dies fur quidam religiosorum specie accedens, se nostro ingessit consortio.

Quid sciverint mortales, quis lateat in habitu?
Scriba enim novit solus, quid contineatur in literis.
Ex eo, quod religiosorum status ubique est probatus;
Haud male de ipso opinati, eum itineris suscepere comitem.
Manifestus religiosorum status & habitus, est rude pallium:
Hocque sufficere debet, ut dignoscantur mortalibus.
Bonis operibus certa, & quicquid lubuerit, gesta.
Nihil interest, capiti coronam imponas, an (pauper mendicitatis) notam humero assuas.
Innocentia & pietas non consistit in veteri pannosaque veste:
Vere innocens esto, bombycinamque gestato.
Pietas est; mundum, libidinem atque affectuum illecebras deserere:
Pietas illa non est; habitum tantum deserere.
Armatura virum requirit fortem;
Ignavus enim cuinam bono arma gesserit?

Paucis ut rem absolvam, quodam die ad noctem usque iter facientibus, sub urbis cujus-

dam muris pernoctare nobis contingit: tum perditissimus fur ille, sodalis gutturnium hoc obtentu accipit, vado ut sordes diluam, sed furtum commissurus, abiit.

Ecce religiosum illum! qui religiosi pallium gestabat;
Sacrum templi Meccani [c] velamen asino tegmen fecerat.

Mox ubi se religiosorum conspectui subduxerat, urbis murum conscendens, arculam gemmarū abstulit. Illucescente die sceleratissimus ille magnam viæ partem emensus evaserat, insciis atque innoxiis comitibus, altum etiamnum indormientibus. Matutino tempore (cives furti famâ commoti,) nos omnes in urbem deductos in carcerem conjiciunt; ex illo tempore, aliorum consortium vitandum duximus, vitæque solitariæ instituta amplexi sumus. Animi enim tranquillitas in solitudine consistit.

Si unus ex gente quadam scelus patraverit;
Tum ejus gentis neque parvo, neque magno honos haberi solet.
Nonne vides, ut unus bos, quod alienam avenam depascendo peccavit,
Faciat, ut totius pagi boves vapulando id luant?

Ad hæc respondi ego: Grates Deo incomparabili & maximo, quod religiosorum beneficiis non sum destitutus, quamvis ipsorum exclusus sim consortio, maximum tamen ex hac historia cepi fructum, mihique similibus per totum vitæ tempus documento & exemplo esse poterit.

Per

Per unum hominem in consortio inconditum,
Offenduntur animi prudentum maxime.
Si cisterna rosarum aqua fuerit plena,
Vnusque canis illapsus fuerit, eam sordibus inficit.

Historia: Religiosus quidam à Rege epulo exceptus fuit. Cum mensæ accumberent, minus, quam pro solitis ventriculi stimulis, comedit. Cum vero precibus assurgerent, illas more suo fudit longiores, ut scilicet mortales de se maximam pietatis opinionem conciperent.

Vereor equidem, ô derro, ut ad Meccanum templum pertingas:
Hæc enim via, qua tu insistis, in Turciam ducit.

Religiosus domum reversus mensam, ut comedat, postulat: filium habebat ingenio præclarum, qui inquit: Mi pater, in epulis Regiis numquid comedisti? Respondit: Illis quidem præsentibus, nihil quicquam comedi, quod naturæ necessitati sufficere possit: Quo audito filius ait: proinde & preces iterato, quia nihil feceris, quod prodesse & æstimari debeat.

O te ignavum, qui virtutes super manus vola expositas; (palam omnibus ostentas:)
Vitia vero sub axilla complexus (occulta fo-res.)

Quid tandem mercaberis, ô superbe, (plusquam nimis tuo pietatis colori confise,)
In tremendo illo desperationis die ære adulterino?

Historia: Non immemor sum, me in puerili ætate divino cultui deditum, noctu surrexisse, vigilias egisse, pietatem atque continentiam magno ardore coluisse. Quadam forte nocte, præsente patre consedi, oculos dormiturus nunquam clausi, sacrumque Coranum sinu complexus legebam, familia circum nos dormiente. Inter hæc patri meo dixi: Horum ne unus quidem caput tollit, ut preces fundat; ita equidem altum dormiunt, uti mortuos merito dixeris. Ad hæc mihi Pater ita respondit: *O cara patris tui anima, longe satius erat, te quoque dormire, quam mortalium crimina perstringere.*

Inanis pietatis ostentator præter se religiosum videt neminem;
Quia oculos magnæ de se opinionis tegmine captos habet.
Si illi vero oculum Deum cernentem concesserint;
Neminem seipso miserabiliorem viderit.

Historia: Magnatem quendam in sodalitio quodam laudabant, virtutesque illius magnifice extollebant. Ille vero (ad laudes sui) elevato capite ait: Ego sum ille, quem novi ipse.

Satis me vituperasti, ô tu, qui virtutes meas enarras.
Status meus externus ita quidem habet; sed intima mea non vidisti.
Corpus quidem meum in conspectu mortalium esse videtur venustum;
Sed ego ob internas sordes caput erigere nequeo.

Pavo-

Pavonem ob admirabilem formam & pulchritudinem, quam habet,
Mortales mirantur laudantque omnes; sed ipse,
Subeunte pudore, ob pedum deformitatem seipsum despicit.

Historia: Quidam piorum montis Libani, cujus celebre per Arabiam nomen,& miracula famosissima erant, templum Damascenum (preces fusurus) ingressus,in ora cisternæ Calceariæ, cum manus pedesque ablueret, pede forte labascente in cisternam illapsus, ægerrime evasit. Precibus actis familiarium quidam infit: mihi nata modo dubitatio animum solicitat. Venerandus senex illam promere jubet. Alter inquit: Memini ego, te mari Africano pedibus ne madefactis quidem inambulasse: hodie vero in tam brevi aqua, cujus altitudo vix modum staturæ humanæ æquaverit, parum absuit, quin oppressus fueris: illud quodnam est arcanum? Senex meditabundus, caput in togam demittens, post longas demum cogitationes, extulit, dicens: Nonne audivisti, Dominum universi, Muhammedem Mustapham, Deus illi sit propitius, dixisse? Mihi cum Deo certum est tempus, quo neque Angelum, Deo proximum, mihi adesse fas erit: neque vatem aliquem, mortalibus à Deo missum. Non vero, sibi semper tempus illud esse, dixit: certum illi fuit tempus, prout ipse imperat: quo ne Gabrielem & Michaelem quidem convenisset: aliud vero, quod cum [e] Hafasa & [f] Sineba transigebat. Status piorum

Deo fruentium in revelatione & occultatione consistit. Revelatur & occultatur.

Aspectum (dum) ostendis, denuòque recondis;
Tui pretium, amoris nostri incendium auges.

Intueor delicium meum sine ductu & alienis auspiciis;
Mihique status quidam contingit, ut viam perdere soleam.
Ignem inflammat, denuoque aquam aspergens extinguit:
Proinde me modo flammis ardentem, modo undis submersum videris.
Quidam rogavit illum, qui filium amiserat:
O clara stirpe oriunde, [g] senex sapientissime,
Ex Ægypto odorem indusii illius subodoratus es:
Quomodo in puteo Cananæo illum non vidisti?
Respondit ille: status noster est fulmen coruscans:
Quod uno momento surgit, altero perit.
Quandoque in altissimo cœlo consideo;
Mox ne proprii quidem pedis faciem video.
Si religiosus in eodem semper statu persisteret;
Desiderium utriusque mundi præcideret.

Historia: In templo [h] Baalbeccano pro concione verba faciebam, in cœtu animis perinde ut glacies indurato, cordeque mortuo; qui mundi

mundi imagine illecebrisque illectus, viam ad meliora ducentem nondum ingressus erat. Videbam verba mea nihil proficere, meumque pietatis ardorem in humidum ipsorum lignum nihil penetrare. Obrepente itaque tædio captus ingemui; quod asinos meliora, frustra docerem.[i] Speculumque cœcorum foro exponerem. Orationis proinde flumen sistere placuit; (sed tamen me continui:) cum orationem exorsus, verborum series atque catena longior esset; in hujus scilicet Oraculi expositione: Nos viciniores illi sumus, quam arteriæ. Tandem in oratione eo provectus, dicebam:

Amicus me ipso mihi est propior:
Hoc vero admirabilius est; quod ego ab illo sum longinquus.
Sed quid agam, cuinam hoc dici potest;
Ipsum in amplexu meo, me vero ab illo longinquum esse?
Ego horum verborum Nectare ebrius,
Poculi etiamnum reliquias manu mea tenebam:

Cum ecce viator quidam forte cœtum prætericns, quem ultima orationis meæ verba inflammaverant, altissima voce lætans ita acclamat, ut ductu auspiciisque illius, cæteri quoque omnes in applausum strepitumque soluti fuerint, cœtusque infimi manibus adstrepuerint: Quo viso ita exclamo, *O laudatissime Deus, illi, qui longinqui sunt, Deum norunt, vereque sunt præsentes: Præsentes vero sine intellectu sunt, vereque longinqui.*

Auditor, si dictorum mentem assecutus
non fuerit;
Ne animi ingeniique vires ab oratore petas.
Campum desiderii tui amplum afferas;
Ut orator orationis pilam liberius vibrare
possit.

Historia: Nocte quadam in Meccano deserto nimiis fessus vigiliis, iter ulterius promovere non potui; capite itaque humi posito, camelario, me missum facias, dixi.

Miseri peditis pes quantumnam ambulaverit?
Cum robustus camelus itineris fatigetur
molestiis.
Corpus obesum attenuatum antequam
fuerit;
Attenuatus quidam molestiâ extinctus
erit.

Camelarius respondit: ô frater; In conspectu est sanctus ille locus; à tergo vero latrones. Si perrexeris, evadis: periisti, si obdormiveris.

Dulce quidem est sub [k] Megilana arbore in deserti itinere decumbere
Itineris nocte; sed vita discrimini exponenda erit.

Historia: Ad maris litus quendam vidi religiosum, à tigri (adeo graviter) vulneratum, ut nullo medicamine sanari potuerit. Vulneris dolore etsi longo tempore fatigaretur; singulis tamen momentis Deum maximum laudibus efferebat, dicens: *Grates maximo Deo,*
quod

quod miseria; non vero flagitiis laboro.

Si miserum me mactandum dederit Amicus ille carus;

Cave dixeris illo momento, animus mortem subire tristatur.

Quin dixero: quodnam misero servo scelus patratum fuerit?

Quô ille per me animo offensus fuit; hic mihi mœror erit.

Historia: Religiosus quidam fortunæ angustiis pressus, ex amici cujusdam ædibus stragulum surripuit; judex, illi manum præcidi jussit: straguli dominus intercessit, inquiens; ego illi stragulum licitum pronunciavi. Judex infit: Tua quidem intercessione ego sacræ legis autoritatem minime violavero. Respondit alter: Recte quidem dicis; verum quicunque ex sacratis paupertati bonis aliquid surripuerit, ipsi haud necesse est, manum præcidere: Pauper enim religiosus nihil ipse tenet, neque ipse ulla re tenetur. Præterea religiosi quidquid habent, id levamentum est egenis. Judex puniendi consilium omittens, (ad furem conversus) inquit: numquid hic vastus terrarum orbis fuit tibi angustus, quod furtum in domo tam cari amici commiseris? Respondit alter: Nonne audivisti, domine mi, quod dicere solent, adagium? Domum amicorum everras; fores vero inimicorum ne pulses.

Egestate cum fueris pressus, ne rebus desperatis corpus (curis) absumas:

Quin hostibus cuticulam; amicis vero pelliceam vestem detrahas.

Histo-

Historia: Quidam Regum religioso ait: numquid te memoria mei quandoque lacessere solet? Religiosus, imo inquit: sed tum temporis, cum Dei oblivifcor.

Ubique oberrat ipse, quem Deus limine suo
dimovit:
Illum vero, quem ipse invitat, nullius ad
limen adreptare facit.

Historia: Quidam piorum, in somnis Regem quendam vidit in Paradiso; religiosum vero in Inferno: rogavit itaque, quæ causa sit, hujus in Paradiso ita elevati splendoris; illius vero in Inferno sortis adeo depressæ, nobis contrarium plane opinatis responderunt: *Rex iste religiosorum amore in Paradiso est: religiosus vero ob amorem & consortium Regum in Inferno agit.*

Tuæ rei quid confert pauperum penula, laceræ vestes, palliumque pannosum?
Quin improbis actionibus abstineto:
Haud opus est, ut[l] mitram gestes ex pelle
ovilla;
Animo, virtuteque religiosus esto, mitramque regiam gestato.

Historia: Pedes quidam capite pedibusque intectis, cum (Meccam religionis causa peregrinantium) comitatu ex urbe[m] Cufa prodiit, nobisque itineris socius, lætus atque exultans iter faciebat, inquiens:

Camelo nec vehor; nec muli instar onere
premor;

Subditi.

Subditi neque sum dominus; neque Regis servus:

Nec divitiarum curam, nec egestatis mœrorem habeo:

Spiritum liber traho, sicque vitam (beatus) transigo.

Quidam camelo vectus illi ait: O religiose, quo tendis? revertitor, miseriâ enim peribis: ille nihil auscultans, pedem in desertum posuit, itàque perrexit. Quando [n] Mahmudis Palmam contigimus, dives ille (præter omnem spem & opinionem) fato concessit; religiosus morientis pulvinari forte adsistens ait; Nos miseria & egestate non extincti sumus: tu vero camelo molliter vectus obiisti.

Quidam totam noctem ægrotum deflevit;

Illucescente die ille obiit, ægrotus vero evasit.

O sodalis, multi celeres extinguuntur equi:

Claudicans vero asinus hospitium salvus contingit.

Sæpe accidere solet, ut sanos humo condant;

Vulneribus vero affecti (feliciter) evadant.

Historia: Regum quidam Religiosum accersivit. Religiosus medicamentum sumere animo statuit, ut fractis medicamine corporis viribus, meliorem pietatis suæ apud Regem & opinionem & famam contraheret. Tradunt, ipsum forte venenum hausisse, & extinctum fuisse.

Illum,

Illum, quem pineæ nucis instar totum opinabar medullam,
Inanibus tantum folliculis constare vidi, perinde ut cæpam.
Religiosi, qui vultum in creaturis figunt,
Tergo Orienti obverso preces fundunt.
Servum, qui Deum sibi vindicaverit,
Decet, ut præter Deum noverit neminem.

Historia: In Cilicia prædones mercatorum comitatum aggressi, bona infinita abstulerunt: mercatores in ploratum fletumque soluti, Deum Vatemque testati, ut prædones erepta sibi bona restituerent; sed frustra, cum precibus nihil promoverent.

Prædo conscientia ater si modo superaverit,
Nihil mercatorum fletus curaverit.

Sapientissimus in eodem comitatu fuit Locmannus; quidam comitum illi ait: Tu hos sapientiæ dictis & bonis documentis meliora doceas; fortassis meliora docti, a facultatum nostrarum parte abstinuerint: miserandum equidem, tantas divitias amittere. Locmannus respondet; miserandum profecto, in illos (nebulones vel unum) Sapientiæ verbum effundere.

Quod ferrum ferrugine fuerit corrosum;
A ferrugine nulla lima expurgari potest.
Hominem conscientia atrum monere quid refert?
Ferreus enim clavus in saxa nequaquam penetrat.

Tem-

Tempore felici miseros invise:
Pauperis enim animum demulcere
Et benevole tractare, mala avertit.
Si mendicus à te cum fletu aliquid petierit;
Dato: alioquin iniquus ferociter tibi eripit.

Historia: Quamvis me infinitum venerandus ille senex ° Schemes EddinAbu Elferetsch filius Schusi hortatus sit, ut rejectis Musicæ illecebris, vitæ solitariæ instituta amplecterer, & in abdito viverem; prævalescente tamen juventutis flore, tumescentibusque libidinis undis miser, rejecto præceptoris consilio, in contrarium raptus, Musicæ, cantilenarumque lenociniis, mortaliumque consortio deliniri cœpi: & quotiescunque senis memor eram consilii, dicere mecum solebam:

Judex si nobiscum manus comploserit modulando;)
Atque Censor si ipse vinum hauserit; ebriis facile ignoverit.

Donec tandem nocte quadam in gentis cujusdam consortium incidi, inter illosque quendam vidi Cantorem:

Dixeris equidem animæ vena ex incondito plectri illius sono rumpetur.
Longe ingratior sonus ille erat, quam si quis feralem istum nuncium tulerit: Pater tuus mortuus est.

Auditores modo aures digitis obstruebant; modo labio impositis silentium innuebant.

Expetitur quidem vox cantorum, cum dulcis est:

Tu vero talis es Cantor, si obticueris; bene feceris.

Nemo mortalium tuo quidem afficitur cantu.

Quin si abieris, silentio facto (lætabuntur omnes.)

Cum ille cantum ordiretur fidibus canens, Patrisfamilias diximus: per Deum (immortalem!)

Argentum vivum auribus meis indas; ne audiam:

Aut fores aperias, ut hinc foras profugiam.

Ut rem paucis complectar, amicorum gratia, quibus me accomodavi, noctem illam tædiorum plenam ad lucem usque protraxi.

Sacer P præco intempestive exclamavit, Nescius, quantum noctis elapsum esset.

Noctis longitudinem palpebras meas rogato:

Ne unum quidem momentum oculi mei dormiverunt.

Illucescente die grates acturus, pileum capiti detractum, aureumque cingulo exemtum, coram Cantore deposui, ipsumque amplexus, magnis gratibus cumulavi. Sodales meam hanc in cantorem benevolentiam, solito meo mori viderunt contrariam, mihique tributa ingenii levitate, occulte illudere cœperunt. Quidam illorum linguæ procacitatem ostentans, me corripere cœpit, inquiens: Factum istud

istud tuum à prudentum foro alienum est: quod scilicet augustum illud seniorum pallium ejusmodi Musico dedisti, qui per totum vitæ tempus ne assem quidem in manu sua habuerit, neque teruncium * tympano suo exceperit.

Talis erat Musicus, Deus illum ab hac beata aula procul dimoveat!
Nemo illum bis in uno loco lubens viderit.
Profecto quando vox ejus ex ore prodibat;
Mortalibus pili in corpore horrescebant.
Ipsa q avis æstivario imposita vocem illius inconditam horrens avolabat:
Nostrum nobis auferebat ingenium sibique gulam laniabat.

Respondi ego illi: Satius est, ut convitiantis linguæ procacitatẽ temperes: mihi enim ejus rei arcanum (& facti mei ratio probe) constant. Infit socius: tu ejus momentum (nobis) indices, ut pariter nos omnes illi studia nostra demonstremus, nostraque ludibria pœnitentiá eluamus. Dixi ego: Iisdem certe auspiciis, quibus Venerabilis ille senex, ista cantilenarum lenocinia deserenda mihi aliquoties præscripsit; acriter seduloque, sed frustra, monuit: hesterna nocte fausta sors, benigniorque fortuna in hoc hospitio, viam mihi monstravit, ut, hujus cantoris scilicet beneficio, posthac Musicæ, consortiique humani delinimentis abstinere proposuerim.

Suavis

Suavis vox ex palato, ore, labioque dulci (profecta),
Sive Musica arte temperetur, sive non, animum dumulcet.
Si vero cantica seu soni [r] Uschack, Safahan, atque Haschas,
Ex absurda cantatoris gula profluxerint, ingrata erunt.

Historia: Sapientem rogarunt Locmannum, virtutem unde hausisti? Respondit ille, ex vitiosis: Quicquid enim in ipsorum actionibus displicebat ingenio meo, illud vitavi.

Ne inter facetias & ludicra unum quidem dixerint verbum;
Quin prudens inde sibi virtutis exemplum sumat.
Rudi vero si centum sapientiæ capita prælegerint;
In auribus ejus jocus & lusus erunt.

Historia: Religiosum quendam fuisse tradunt, qui per noctem decem librarum pondo cibum assumebat, Coranumque totum ad auroram usque orando finiebat. Cordatus quidam id audiens, inquit: Si dimidium comederet panem & obdormiret; longe præstantior esset.

Ventrem cibo vacuum habeas;
Ut ejus beneficio Sapientiæ lumen cernas.
Vacuus Sapientiâ ea es de causâ,
Quia cibo ad nasum usque es oppletus.

Historia: Benignitas divina homini cuidam in scelerum aviis perdito illustrationis facem prætulit, adeo, ut in vere piorum circulum ductus,

ductus, beato religiosorum consortio, illorumque suspiriorum veritate, pravi ipsius mores in virtutes versi sint, manum à libidine & mundi delinimentis contraxerit, perstringentium vero procacitatem adauxerit: qui hominem, ut olim, ex pravo usitato vitæ genere æstimabant, nullam plane integritati & pietatis illius studio fidem habentes.

Pœnitentiæ beneficio divinum subterfugitur supplicium:
Convitiantium vero procacitas subterfugi nequit.

Perstringentium probrorum contumeliarumque impatiens, ordinis sui seniorem accedens, queritur. *Senior in lacrymas ruens, inquit: Quibusnam hanc benignitatem Dei laudibus æquaveris*, quod scilicet mortalium de te opinione es melior?

Quotiesnam dixeris? Hostes, æmulique
Vitia mihi misero falso affingunt.
Sive in cædem tuam surrexerint;
Sive tibi male ominantes confederint;
Tu bonus esto, malumque te dixerint mortales;
Præstat: quam si malus sis, & te bonum opinati fuerint.
Me vero inspicias, quem opinantur omnes
Perfectum; ego autem revera sum imperfectio ipsa.
Si illa, quæ dico, præstarem;
Virtutibus splenderem, religiosusque forem.
Ego certe vicinis meis sum occultus:

Magnus

Magnus vero Deus arcana manifestaque mea novit.

Fores quidem occlusi mortalium oculis,
Ne vitia mea (cernentes) divulgent:
Sed fores claudere, quid refert? cum Omniscius ille
Et occulta & manifesta sciat.

Historia: Venerabili cuidam seniori lamentatus dixi: Ejusmodi homo de me lasciviæ testimonium dedit. Respondit ille: ***Tu virtute & morum innocentia illum pudore afficias.***

Tu alacer in bona recto tramite contendas; ne malevoli
Ullius in te vitii deprehendant materiam.
Si aptus panduræ fuerit sonus;
Quorsum à cantore (discipuli) auris intorquebitur?

Historia: Quendam ex Damascenis rogarunt senioribus; Quid est Deum nosse, vereque religiosum esse? Respondit ille: Olim in hoc terrarum orbe quædam fuit gens, specie habituque dissoluta, animo vero virtutibusque composita & exquisita. Nunc temporis vero gens est, specie habituque externo, ut paret, pia & religiosa; sed interna sunt dissoluta & misera.

Cum quovis momento animus tuus (mundi illecebris inquies,) hinc inde oberret:
Solus etsi consederis; otium tamen nullum habes.
Sive opes, dignitatem, agros, mercesve habueris:

Animus

Animus si in Deo fixus fuerit; otium habes.

Historia: Non immemor sum, nos quondam cum viatoribus totam noctem iter facientes, matutino tempore juxta sylvam aliquam recubuisse. Nobis decumbentibus ecce quidam amore captus, itineris nostri comes, alta voce exclamans, deserta petiit; & ne unum quidem momentum requievit. Illucescente die, reduci dico: Quæ hæc est rerum tuarum facies? Respondit ille: *Luscinias in arboribus vidi concinentes: perdices in montibus: ranas in aquis: feras in sylvis: Inhumanum itaque ratus, omnibus Dei laudes celebrantibus, me ignaviæ somno sepultum esse.*

Hesterna nocte avis quædam ad auroram usque canebat;
Quæ mihi ingenium, patientiam, moderationem & judicium eripuit.
Cujusdam integerrimi amici
Vox mea aurem forte contigerat,
Qui inquit: Minime fide capior illa,
Te avium cantu adeo delinitum fuisse.
Respondi ego: *Indignum (hercle) est humana sorte;*
Ut avis Numini dicat laudes: ego vero (homo) sileam.

Historia: Quodam tempore in Meccano itinere, aliquot cordatos juvenes, itineris socios comitesque habui; quandoque alta voce cantabant, versibusque unum illum Deum celebrabant. Forte in itinere vir quidam devotus fuit; qui ordinem religiosorum, paupertatem

tatem subeuntium detestabatur; ignarus equidem horum anxii in Deum studii. Tandem ita ad [f] familiam Jachiæ filii filiorum Helalis pervecti sumus, cum ecce puer quidam niger ex Arabum gente prodiit, itàque cantare occœpit; ut ipsas ex aëre aves alliceret: vidi & ego devoti illius camelum gaudio effusum, qui devoto (humi) dejecto avia petiit. Quo viso, devoto dixi: *Suavis vox ipsa penetrat & permovet animantia, numquid & te quoque permovebit?*

Nostine, quid mihi dixerit illa matutina luscinia?
Tu cujus generis homo es; quod amoris es expers?
Camelus [t] *Arabis carmine, gaudio lætitiaque (oberrat:)*
Tu si gaudio carueris; perversæ naturæ bestia eris.
Camelus cum amore sit captus, lætitiaque subsultet:
Quodsi homo ejus expers fuerit; penitus [u] *asinus erit.*
Flantibus enim per prata ventis,
Moventur arboris rami; non duræ petræ.
Quicquid in hoc universo vides, magni Dei laudes ovans atque gestiens accinit:
Sed animus ille hanc capit mentem, qui aures habet.
Non luscinia in rosis illius tantum laudes decantat:
Quin spina quævis, in dicendis laudibus ejus, linguæ officium præstat.

Histo-

Historia: Quidam Regum suprema vitæ tempora agens, cum nullum haberet successorem; velut testamento hanc ultimam voluntatem, voce proceribus suis ita expressit: *Me defuncto, qui sequenti die primus urbem ingressus fuerit, illi regium diadema imponite, regnumque tradite.* Accidit forte, ut, qui princeps urbem ingrederetur, mendicus esset; qui totum vitæ tempus mendicando hinc inde buccellas collegerat, ex inveteratisque pannis vestes sibi consuerat. Regni proceres atque purpurati Regis, ultimam ipsius voluntatem executuri, illi regnum ærariaque jure attribuerunt. Pauper aliquandiu arbiter rerum, regio jure nomineque fuit, donec tandem aliqui procerum imperium ipsius excusserunt, viciniqueReges in bellum surrexerunt, atque conferendæ pugnæ aciem instruxerunt. Paucis ut rem absolvam: Miles civisque rebus novis ita fuit turbatus, ut regni pars imperii illius arbitrio erepta fuerit. Pauper hac tempestate mire perculsus, (inter spem & metum anceps fluctuabat;) donec tandem veterum sodalium quidam, paupertatis illi olim socius, ex itinere revertitur; qui huic in fastigio regni viso, inquit: Grates Deo incomparabili & maximo, qui præclaræ fortunæ tuæ præsidium, magnæque potentiæ dux & autor fuit; cujus auspiciis rosa tua spinis, spinaque pedi tuo exemta est, cum scilicet celsum illud regni fastigium (feliciter) conscendisti. *Quippe post fortunæ angustias, læta quies.*

Flos modo amplissime floret, modo marcescit:

 Ar-

Arbor modo nuda, modo foliis vestita apparet.

Respondit ille; O frater, tu me solatio ad patientiam (ut lugentes potius) erigas: hic enim locus minime beatus est; ut adeo magnifice mihi gratuleris. *Tum temporis, quando tu me vidisti, unius panis solicitudine; nunc vero totius orbis curis exedor.*

Facultates si non habuerimus, miseri sumus;
Si habuerimus, illarum amore curisve exedimur.
Nullum hujus mundi gravius atrociusque supplicium esse potest;
Quam quod mortalium animi acerbitatibus dilacerantur, opes sive habuerint, sive iis caruerint.
Si magna expetiveris, nihil expetere velis,
Præter temperantiam, quæ potentia est insuperabilis.
Dives etsi aurum (largo) sinu effuderit;
Ipsius meritum nimium suspicere noli.
E*x magnis enim viris audivi sæpius:*
Pauperis patientiam, divitis liberalitati præstare.

Si [x] Bihramus unum onagrum assaverit,
pauperibusque (totum) distribuerit;
Ne unum quidem locustæ pedem, quem
* formica tulit, æquaverit.

Historia: Quidam amicum quendam habebat, ministeriis tribunalis operam dantem: cum per aliquod forte temporis spatium illum videre haud contigisset; quidam infit: Istum virum ex longo non vidisti tempore? Respondit

dit alter: Ipsum videre nolo. Forte quidam ex familiaribus illius præsens rogat: Quidnam patravit ille, quod eum videre fastidias? Respondit alter: Nihil equidem admisit; sed tribunalis amicum tempore quodam videre licet, cum munere dejectus fuerit.

Ad dignitatem evecti, cum sunt arbitri rerum;
Familiarium notitiam exuere solent.
Tempore vero infelici, munereque dejecti,
Animi dolores amicis (cum gemitu) exponunt.

Historia: y Abu Hurura quotidie invisere per officium solebat * Mustapham, cui Deus propitius esse velit. Mustapha quodam die illi dixit: *O Abu Hurura, me raro invisas, ut amor augescat:* Quotidie scilicet ne venias; ut amoris nostri vinculum arctius coëat.

Facete cordato cuidam dixere: ejus pulchritudinis, qua pollet Sol, nunquam aliquem amore captum audivimus. Respondit ille: Causa hæc est: Quia quotidie illum videre licet; nisi hyberno fortassis tempore, ubi nubibus tectus mortalibus in deliciis esse solet.

Hominem invisere, vitium quidem non est;
Sed tamen non tantum, ut, sufficit; dicant.
Quod si te correxeris ipsum;
Aliorum correctionem & correptionem audire haud opus est.

Historia: Ex consortio amici Damasceni natus mihi est animi dolor, & perturbatio; proinde Hirosolymitana petens deserta, cum feris societatem contraxi; donec tandem in * Francorum vincula incidens, in Tripolitana fossa

humum cum Hebræis aggerere coactus fui. In faciendo portandoque luto hæsi, usque dum quidam primorum Haleppensium, qui cum olim quædam mihi intercesserat familiaritas, illac transiens, me agnitum ita est allocutus: Quænam hæc, ô Musladdine, rerum tuarum est facies? & quonam vitam modo transigis? Respondi ego:

Mortalium consortium fugiens, montana campestriaque petii;
Vt, præterquam Dei, nullius commercium haberem.
Tu æstimato, quænam hoc momento rerum mearum facies esse posit;
Dum inter cohortem non hominum vivere, & lutum aggerere oportet.
Cum amicis vinculis oneratum esse,
Præstat; quam cum externis in horto (liberum versari.)

Misertus infelicitatis meæ, decem aureis me ex Francorum vinculis in libertatem asseruit, secumque Haleppum duxit. Dives ille filiam, quam (forte) unicam habebat, mihi matrimonio junxit, dote centum aureorum addita. Temporis tractu filia pravis moribus tincta, animo pertinax, imperii intolerans, linguæ procacitatem exercere, vitæque meæ dulcedinem exasperare cœpit, prout ajunt:

Mulier prava in ædibus viri boni,
In hoc quidem mundo illi Tartarus est:
Caveas à mala conjuge, caveas?
Serva nos, ô Domine, ab (istius) ignis infernalis supplicio.

Ali-

Aliquando linguæ protervіam in exprobeanda mihi pauperie ostentabat, inquiens : Nonne tu ille es, quem pater meus decem aureis Francorum vinculis exemit ? Respondi ego : *Imo, decem aureis me servitute liberavit :* [z] *centum vero aureis me tibi mancipium vendidit.*

Audivi ego, quendam divitem ovem
Liberasse ex faucibus unguibusque lupi :
Eadem vero nocte cultrum in gulam illius adegit ;
Oviculæ autem anima ex illo ita ingemuit ;
Me quidem tu lupi ungulis eripuisti ;
Sed, prout video, tu mihi ipse tandem lupus factus es.

Historia : Regum quidam quendam rogavit religiosum: Augusta tibi quomodo transiguntur tempora ? Respondit ille : Noctem integram petitionibus ; auroram votis precibusque ; diem vero totum impensarum curis absumo. Rex imperavit, ut illi, adscriptis vitæ reditibus, grave illud nutriendæ familiæ onus, adimerent.

O tu, qui familiæ vinculis es oneratus,
Noli posthac libertatis opinionem capere.
Cura prolis, panis, vestitus, & opum,
Te retinet ab Angelici mundi contemplatione.
Toto quidem die hoc magno studio mihi propono,
Ut tempore nocturno cultui divino invigilem :
Nocturno tempore cum preces exordior,

Hæc me cura vellicat: Craftino die proles
mea quid comedet?

Historia: Quidam ex Damascenis, singularem severioris vitæ sanctimoniam professus, multos per annos cultui divino in sylva invigilabat, arborumque folia comedebat. Ejus loci Rex hominem visendi causa accedit, visoque ait: Si tibi consultum videtur, tui causa in urbe locum aliquem apparabimus, ut ingens illud religionis studium tibi facilius cedat, aliique ex beato tuo commercio fructum capiant, tuoque exemplo ad bona opera accendantur. Religioso Regis dicto haud annuenti, primores inquiunt: Conservandæ Regis gratiæ consultum hoc est, ut per aliquot dies in urbem commigres, locumque experiaris; postea si forte pretiosa tibi tempora commercio hominum instituti à te diversi fuerint turbata, huc redire integrum erit. Narrant: Religiosum in urbem commigrasse, Regemque hortum, in quo præcipuum habebat palatium, religiosi causa apparasse; locum equidem, qui animum trahebat, spiritumque reficiebat.

Rubescebant rosæ hortensis illius palatii,
perinde ut formosorum genæ;
Atque ipsius flores, perinde ut delicatulorum cincinni.
Memoratæ rosæ ex bacchanalis metu frigoris,
Similes erant infantibus recens natis, nutricis lacte nondum refectis:
Arborum rami floribus ornati purpureis;

Perin-

Perinde ac si fixus in viridi arbore rutilus
ignis reluxisset.

Rex religioso misit puellam virginem, forma præstantem:

Erat vultu, perinde ut lunæ corpus, splendida, religiosi laqueus.

Angelicâ formâ, ornatu pavonis,

Qua equidem conspecta, ad nullum moderamen redigi poterat,

Religiosorum corpus, patientiæ habenis.

Eodem modo post virginem misit servum,

Forma incomparabilem, facetiis exquisitum.

Exanimabantur mortales circa ipsum sitibundi.

Ipse erat pincerna, poculum monstrabat; sed potum non præbebat.

Oculi aspectantium ipsius non satiabantur intuitu:

Perinde ut aquâ Euphratis non satiatur intercute laborans.

Religiosus suavibus buccellis vesci, splendidis vestibus indui, recentium fructuum, odoriferorumque deliciis & illecebris capi, pueri puellæque formam intueri, iisque deliniri cœpit: ex oraculi fide, quod ediderunt Sapientes: (*Cincinnus formosorum, ingenii est compes; (dolosusque) alacerrimæ avis laqueus.*

Tui quidem amore animum, religionem, omnemque prodegi scientiam:

Ego vere avis sum alacris; tu vero (dolosus) mihi hodie laqueus.

Ut paucis rem complectar; omnis denique

temporis & beatæ tranquillitatis ipsius gloria turpissime periit, perinde ut (Sapientes) dicere solent:

Quisquis fuerit jurisperitorum, doctorum, religiosorum,
Concionatorumque mire facundorum:
Si vilissimo huic mundo animum applicuerit;
Perinde ut muscæ pes melli, semper mundo affixus hæret.

Quodam forte tempore, Rex religiosum videre voluit, atque vidit, exuta pristina forma, aliam rerum speciem induisse, rubescentem, atque nitentem, corpore obesum, sericoque pulvinari innixum, puerumque Angelica quadam pulchritudine flabello ex pavonis plumis confecto, capiti ipsius adsistentem, (auram impellere.) Rex prosperis religiosi rebus lætus, omnis generis sermones miscuit, donec hæc tandem verba protulerit: Ego in hoc terrarum orbe hanc utramque gentem amo unice; Sapientes & religiosos. Sapiens quidam purpuratus, rerum usu per orbem exercitus, tum forte præsens infit: *Amicitiæ fas, ô Rex, hoc est, ut utrique genti benefacias: Sapientibus aurum dato, ut studio Sapientiæ (alacrius) incumbant: religiosis vero nihil dato; ut religiosi permaneant.*

Religioso non convenit argentum, nec aurum:
Quod si acceperit; tu alium tibi religiosum quæras.

Ille, qui veris pollet virtutibus, unicum in Deo posuit studium;

Sinc-

Sine sacro illo pane, buccellisque collectis
religiosus est.
Digitus formosæ, atque ima auricula aspicientis animum capiens,
Sine inauribus, annuloque ex erano pulchra sunt.
Religioso bonis moribus felicique judicio
dicas;
Ne panem illum sacrum buccellásque mendicatas admittat.
Virgini formâ præclaræ, vultuque nitenti
Dicas: ne pigmenta; fucos, annulumque
ex erano adhibeat.
Rem aliquam dum habeo, illamque tamen
expeto,
Si me religiosum non dixerint; fas equidem
erit.

Historia: Narratæ hæc præsens alludit historia: Rex quidam gravi & inopino casu perculsus, infit: Si res ex voto successerit meo; tantum aureorum religiosis dilargiar. Rebus ex animi sententia cedentibus, voti fides ex promissi religione liberanda erat. Præcipuorum itaque ministrorum cuidam loculum aureis plenum tradit, religiosis dilargiendum. Narrant: juvenem animo ingenioque præstantem, post totius diei errores, sub noctem reversum, aureosque deosculatum, coram Rege deposuisse, dicentem: Religiosos inveni nullos. Rex infit: Hæc quænam est fabula? ego enim certus sum, in hac urbe vel quadringentos esse religiosos. Minister respondit: O *Rex orbis terrarum qui religiosus est, aurium non* [illegible]

accipit: qui vero accipit, religiosus non est. Rex ad hæc subridens, amicis ait: Ego quantum huic religioso mortalium generi, Deum colenti bene cupio & adstipulor: tantum impudens ille, inimicitiæ stimulis illud infestat & detestatur; & jure quidem:

Religioso enim, qui argentum aurumque acceperit,
Illo tibi religiosiorem quæras.

Historia: Quendam sapientem rogarunt præstantissimum, dicentes: Quid tibi videtur de sacrato religiosis pane? Respondit ille: Si illum comederint, ut animo composito alacrius tanto, divino cultui invigilare possint, licitus est: Si vero in cohortes sese redegerint panis gratia, (ut eum strenue comedant,) illicitus est.

Panem, ut in abdito vivant, Deumque colant, accipiunt.
Cordati: non vero in abdito vivunt, Deumque colunt, ut panem comedant.

Historia: Religiosus quidam in locum quendam pervenerat, ubi hospes ingenio comis, doctiores facundioresque in suo habebat consortio: quivis illorum, more facetis ingeniis recepto, lepidum jocosumque quid dicebat. Religioso iter per deserta emenso, itinere inediaque fesso, quidam illorum haud illepide infit: Tuum quoque est, aliquid in medium proferre. Religiosus inquit; Mea, ut aliorum, non est scientia neque facundia: præterea neque literis operam dedi: proinde uno versu

mecum

mecum contenti estote. Avidi hortantur omnes, proferret. Ille vero ita infit:

Ego fame stimulatus, in mensæ conspectu
(perinde me habeo,)
Ut (vegetus & cupidus) juvenis in porta
balnei feminarum.

Arridentibus universis, mensam illi apposuerunt, hospes infit: O Amice paulisper expectato; servi enim minutal frixum apparant. Religiosus levato capite, inquit:

Ferculum minutim concisum frixumque,
ne mihi apponatur, dicito;
Mihi enim itinere & inedia fracto siccus
panis caro frixa est.

Historia: Benevolus quidam amicus senecionem quendam consulit, inquiens: Quid agendum mihi, mortalium crebro accessu quam maxime fesso; pretiosissima quippe mihi accessu suo turbant, eripiuntque tempora? Respondit senecio: * *Pauperibus, qui te accesserint, mutuũ dato: à ditioribus vero aliquid petito.*

Si mendicus Muhammedani exercitus dux
fuerit;
Infidelis mendicantium metu in Sinas profugerit.

Historia: Jureconsultus quidam patri suo ait: In me nihil quidquam penetrant animum delinientia Sacerdotum verba & præcepta: causa est hæc; quia haud video in illis actiones dictis ipsorum convenientes.

Mundum mortalibus deserendum præscribunt:
Ipsi vero argentum & frumenti acervos accumulant.

Sa-

Sapiens, qui nihil, nisi hordeacea fecerit verba;
Verba etsi pro concione fecerit, in neminem tamen penetrant.
Sapiens est ille, qui non fecerit malum:
Non ille, qui populum multa bona docet; ipse vero non facit.
Sapiens, qui animi libidinem cuticulamque curat,
Ipse jam periit; viam cuinam monstraverit;

Respondit pater: O fili, non decet propter vanam aliquam tantum opinionem, à bona Sacerdotum disciplina & doctrina in pravitatis præcipitia ruere; Sapientesque perditos censere: innocentisque vitæ Sapientem quærendo, sapientiæ fructibus destitui. Tu mihi similis esse videris cœco illi, qui nocte quadam in lutum prolapsus, exclamavit: O Muhammedani, facem meis præferte vestigiis: Vulgatæ femina pudicitiæ, clamoribus auditis, infit: Tu, qui ipsam non vides facem, facē prælucente, quid te visurum putas? *Sacerdotum concio, (ô fili,) perinde se habet, ut officina mercatorum; hic nisi æs dederis, merces non acceperis: illuc vero, nisi benevolentiæ studium tuleris, Sapientiæ decus & felicitatem non retuleris.*

Verba Sapientis animi auribus accipito:
Etsi facta ipsius dictis non fuerint consona.
Futile est illud, quod Sapientiæ ostentator dicit:

Der-

Dormientem dormiens quandonam expergefecerit?
Virum benignis auribus admittere oportet,
Etsi muro fuerit inscriptum, virtutis exemplum.

Historia: Cordatus quidam, deserto religiosorum consortio, ex monasterio in Academiam venit; fidemque, quam religiosorum consortio dederat, fregit, (eos deserendo.)
Ego illi dixi: Inter Sapientem religiosumque quodnam est discrimen,
Quod religiosis desertis, hoc sapientum genus prætuleris?
Respondit: *Religiosus, vix proprium corpus undis eripere potest:*
Sapiens vero operam dat, ut alios quoque undis oppressos, discrimini eripiat.

Historia: Quidam in prima via ebrius obdormiverat, excussis per ebrietatem sanæ mentis habenis. Forte religiosus illac prætericns, fœdum illius statum (detestatus) aspexit: Juvenis levato capite, ait: *Si peccatorem (religiosi & boni) prætereant; benevole prætereunt.*

Si videris peccatorem,
Obtegas crimina, benignusque esto.
Heus tu! qui vecordiam meam vituperas,
Quidni benevolus me præteris?
Vultum tuum, ô religiose, à lapso ne avertas;
Crimen ignoscendo, ipsum benigne respicias.
Si ego in actionibus meis non fuero civilis;

Tu

Tu tamen me, ut civiles solent, prætereas.

Historia: Perditorum gens religiosi cujusdam pietatem inficiari, probrosis sermonibus exagitare, irreligiosiusque vexare cœperunt. Religiosus ordinis seniorem conveniens, ejusmodi sibi injuriam factam esse, queritur. Senex infit: *O fili mi, religiosorum toga & benevolentiæ & patientiæ est habitus. Quicunque in hoc vestitu injurias non toleraverit; ordinis sui religionem mentitur; togaque illi est illicita.*

Vastum profundumque mare unius saxi projectu turbatur minime:
Sapiens, qui injuria accenditur, vadosa etiamnum est aqua.
Si tibi damnum acciderit, tolerato:
Quia crimina (aliis) ignoscendo, crimina eluis tua.
O frater, postremo cum in pulverem verti debeas;
Antea pulvis esto, quam in pulverem vertaris.

Apologus: Hanc audias historiam; * Bagdadi.
Inter vexillum & tapetum, natum est jurgium.
Vexillum itineris pulvere, stapedisque molestia fessum,
Tapeto quasi indignans ait:
Ego & tu, uterque unius domini ministri;
Servi sumus unius regiæ aulæ.
Ego à servitio ne unum quidem respiro momentum;

Tempore

Tempore enim opportuno, importunove
fum in itinere :
Tu ne moleftiam quidem expertus, nec urbium oppugnationes ;
Neque defertum, nec turbinem, neque pulverem:
Pes meus in expeditione eft princeps ;
Quorfum tu itaque mihi fplendore & honore præftas ?
Tu verfaris inter pueros, Lunæ inftar vultu formofos ;
Interque puellas Jafmini inftar fragrantes :
Ego vero in ferviles miniftrorum incidi manus ;
In itinere vinculis oneror, perpetuifque ventorum flabris agitor.

Refpondit tapetum : *Ego caput meum * limini impono ;*
Haud tuo exemplo caput ad aftra levo.
Quicunque enim vana gloria caput effert;
Capiti fuo præcipitium exitiumque faftu feftinat.

Hiftoria : Cordatus quidem athletam vidit, robore fingularem, animo turbidum, lymphatum, oreque fpumantem ; proinde rogavit : quæ ifta fit hominis fpecies ? Quidam refpondit : ifte homo N. N. illum injuria affecit. Cordatus hoc audito infit: *O perditiffimum viliffimumque hominem, qui mille librarum pondo faxum fuftinuerit, unumque verbulum fuftinere nequit.*

Fortitudinis gloriam, virtutifque oftentationem linquas,

O igna-

O ignava vecorsque anima; inter (te) virum feminamve discrimen quodnam?
Dum potes, alterius os tibi demulceas;
Virtus illa & fortitudo haudquaquam est, quod alterius ori pugnum infligas.
Etsi quis cum elephante frontem conserere possit;
Vir tamen est nullus, nisi humanitatem habuerit.
Mortalium fabrica constat ex humo:
Si quis humanus haud fuerit, nec homo erit.

Historia: Virum quendam magnum de vere amicorũ consuluerunt virtutibus. Respondit: Minimus est ille, qui amici desiderium suis prætulerit negotiis. Sapientes enim dixere: *Frater, qui sua quærit commoda, neque frater, neque propinquus est.*

Itineris comes; qui festinat, tibi minime est comes;
Proinde animum in nemine figas, nisi qui in te animum fixerit.
In propinquo si religio & pietas non fuerit;
Cum illo amicitiam incidere, quam propinquitatis jus colere, præstat.

Haud immemor sum; quendam Sapientiæ ostentatorem, dicti versus argumento obnisum, dixisse: Maximus, Altissimusque Deus in Corano amicitiam rumpere vetat; propinquorumque amicitiam & caritatem commendat: tibi vero dicta oraculo huic prorsus reclamant. Respondi ego: Erras: quinimo oraculo maxime suffragantur; Altissimus enim Deus ita ait: Si tibi (parentes tui) institerint,

ut

ut mihi * socium adjungas, quem tu nescis; ne illis obtemperaveris.

Mille propinqui, qui à Deo alieni fuerint,
Victima sunto uni externo; qui Deo propinquus fuerit.

Historia: Vir quidam decrepitus, ingenio comis Bagdadi,
Filiam suam cuidam calceario uxorem dedit.
Homuncio ille saxeo corde illam ita momordit,
Ut filiæ labra (largo) manarent sanguine.
Proximo die pater illam ita vidit laceratam;
Generum itaque adit & rogat:
O Homuncio è sterquilinio orte! qualisnam est dens ille?
Quorsum labra illius dilaceras, non enim est corium?
Per ludibrium hæc quidem non dixi verba:
Tu lepores linquas, tibique solida & vera legas.
Pravi mores, si naturam obsederint;
Nonnisi fato expelli possunt.

Historia: Jurisconsultus quidam filiam habuit maxime deformem: quanquam proposita essent, magnus nuptialium apparatus, dosque præclara; nemo tamen matrimonium ejus ambiit.
Fœdi sunt panni auro intertexti, argentoque distincti;
Si sponsa deformis, iis vestita fuerit.
Rem ut paucis absolvam, necessitate urgente,

te, eam cæco cuidam matrimonio sociarunt. Scriptores tradunt: eodem anno ex Insula Serendib [a] Medicum quendam venisse, qui cæcis visum restituebat. Jurisconsultum rogarunt: Quidni genero tuo oculorum usum quoque reddis? Respondit ille: *Metuo, ne videns filiam meam repudiet.*

Maritum conjugis deformis cæcum esse præstat.

Historia: Quidam Regum pauperem religiosorum gentem vultu tristi aspiciebat. Unus illorum ingenio sagax, id sentiens, infit: *O Rex, nos in hoc terrarum orbe milite tibi sumus inferiores, vitæ jucunditate superiores, morte pares, resurrectione meliores.*

Etsi Rex regna expugnans, omnia ex arbitrio agat;
Pauper vero panis penuria laboret:
Illo tamen momento, cum moriendum est huic, & illi;
Nihil præter ferales fascias ex hoc mundo efferre possunt.
Si sarcinas colligere, ex hoc mundoque discedere studes;
Tum magis tibi expedit mendicandi sors, quam regnandi onus.
Externa religiosi facies, est tunica ex veteribus pannis consuta, rudeque pallium;
Vera autem hæc est: ut Spiritu sit vivus, affectibus mortuus.
Nequaquam illa; ut à mortalium consortio seclusus, se religiosum jactet;

Qui,

ii, si forte contra animi ipsius sententiam
aliquid fecerint, in bellum ruat.

ex monte deorsum volvatur saxum molare;

iens ille minime est, qui de via saxo ruenti cesserit.

ituta religiosorum hæc sunt: Deum invo-
grates agere, colere, obtemperare, libera-
paucis contentum esse, Deum unum sta-
:, confidere, illi rem omnem remittere,
ntemque esse. Quicunque hisce virtuti-
polluerit, vere religiosus est: etsi magni-
(divitum) toga indutus (incedat.) Vani-
us autem sine precibus, Veneris manci-
1, illecebrarum sectator, qui dies ad no-
1 usque luxu libidineque, noctes vero ad
1 usque ignaviæ somno transegerit; qui
ederit, quicquid in buccam venerit; per-
s est, etsi rude (religiosorum) pallium,
atis insigne, gestaverit.

te (excordem,) cujus anima pietatis est vacua: orpus vero religioso habitu ornatum, pietatem simulat.

elamen * septem coloribus distinctum, foribus tuis ne obtendas.

u, qui intra ædes storeas, seu vilia stragula tenes.

storia: Vidi ego aliquot fictilia recentibus rosis plena,

super tecto quodam, gramine alligata.

Dixi ego: Quodnam est illud vile gramen,

Quod in rosarum ordinem etiam concesserit?

Gramen

te, eam cœco cuidam matrimonio sociarunt. Scriptores tradunt: eodem anno ex Insula Serendib [a] Medicum quendam venisse, qui cœcis visum restituebat. Jurisconsultum rogarunt: Quidni genero tuo oculorum usum quoque reddis? Respondit ille: *Metuo, ne videns filiam meam repudiet.*

Maritum conjugis deformis cœcum esse
præstat.

Historia: Quidam Regum pauperem religiosorum gentem vultu tristi aspiciebat. Vnus illorum ingenio sagax, id sentiens, infit: *O Rex, nos in hoc terrarum orbe milite tibi sumus inferiores, vitæ jucunditate superiores, morte pares, resurrectione meliores.*

Etsi Rex regna expugnans, omnia ex arbitrio agat;
Pauper vero panis penuria laboret:
Illo tamen momento, cum moriendum est huic, & illi;
Nihil præter ferales fascias ex hoc mundo efferre possunt.
Si sarcinas colligere, ex hoc mundoque discedere studes;
Tum magis tibi expedit mendicandi sors, quam regnandi onus.
Externa religiosi facies, est tunica ex veteribus pannis consuta, rudeque pallium;
Vera autem hæc est: ut Spiritu sit vivus, affectibus mortuus.
Nequaquam illa; ut à mortalium consortio seclusus, se religiosum jactet;

Qui,

Qui, si forte contra animi ipsius sententiam aliquid fecerint, in bellum ruat.

Si ex monte deorsum volvatur saxum molare;

Sciens ille minime est, qui de via saxo ruenti cesserit.

Instituta religiosorum hæc sunt: Deum invocare, grates agere, colere, obtemperare, liberalem, paucis contentum esse, Deum unum statuere, confidere, illi rem omnem remittere, patientemque esse. Quicunque hisce virtutibus polluerit, vere religiosus est: etsi magnifica (divitum) toga indutus (incedat.) Vaniloquus autem sine precibus, Veneris mancipium, illecebrarum sectator, qui dies ad noctem usque luxu libidineque, noctes vero ad diem usque ignaviæ somno transegerit; qui comederit, quicquid in buccam venerit; perditus est, etsi rude (religiosorum) pallium, pietatis insigne, gestaverit.

O te (excordem,) cujus anima pietatis est vacua:
Corpus vero religioso habitu ornatum, pietatem simulat.

Velamen * septem coloribus distinctum, foribus tuis ne obtendas.

Tu, qui intra ædes storeas, seu vilia stragula tenes.

Historia: Vidi ego aliquot fictilia recentibus rosis plena,

Super tecto quodam, gramine alligata.

Dixi ego: Quodnam est istud vile gramen,

Quod in rosarum ordinem etiam concesserit?

Gramen

Gramen lacrymis fusis, mihi, taceto, dixit:
Sodalitium benevolentiæ non oblivisci solet,
Etsi ego quidem non ea sim pulchritudine, colore, atque odore;
Nonne sum tamen ex eodem, quo rosa est, horto?
Ego sum servus Domini illius munificentissimi,
Antiqua ipsius benevolentia enutritus.
Sive ego sim iners, sive artifex,
Benevolentiam à Domino spero;
Quamvis etiam, non afferam merces,
Neque obsequii opes habeam.
Ipse enim desperatis servi rebus remedium novit;
Dum nemo mortalium illis mederi potest.
Moris est, ut domini, qui mancipiis libertatem reddunt;
Senioribus (ex iis) libertatem præstent.
O Domine, qui hunc orbem creaturis exornasti;
Tu quoque huic seni tuo mancipio libertatem præsta.
O Sade, templi benevolentiæ viam ingreditor:
O Vir Dei, viam Dei ingreditor.
Infelix est ille, qui caput suum deflexerit
* *Ab his foribus; alias enim fores non invenerit.*

Historia: Sapientem quendam rogarunt, utranam (virtutum harum) fortitudo, an liberalitas, præstet? Respondit ille: *Qui liberalitatem habuerit, fortitudine minime eget.*

Inscri-

*Inscriptum fuit tumulo * Bahrami Curi:*
Manus liberalis robusto lacerto præstat.
Non restitit † Chatemtajus, verum in æternum
Restabit magnum illius nomen, benevolentia & liberalitate famosum.
Divitiarum quinquagesimas dato: nam luxuriantes vitis ramos,
Vinitor si succiderit; plures uvas reddit.



ROSA-

CAPUT TERTIUM

De Temperantiæ Præstantia.

HISTORIA.

MEndicus quidam Africanus inter Haleppenses mercatores considens, infit: O (benevoli &) divites Domini, si apud vos locum haberet æquitas, apud nos temperantia; jam pridem mendicandi mos ex hoc orbe exularet.

O temperantia, tu me divitem redde:
Præter te enim opes sunt nullæ.
Patientiæ angulus à Locmanno fuit electus:
Quicunque patientia caret, etiam Sapientiam nullam habet.

Historia: In Ægypto duo fuere principis filii, alter Sapientiæ; divitiarum alter studio intentus; ille sui ævi lumen, hic Ægypti princeps evasit: Princeps opibus dives, doctum superciliosis oculis per contemptum intuitus: infit: Ego regnandi fastigium conscendi; tu vero etiamnum in pristina pauperie hæres? Respondit alter: O frater, meum est, Creatoris maximi benevolentiam laudibus cumulare; quia hæreditatem vatum inveni, id est, Sapien-

pientiam: tu vero Pharaonis & Hamanis, id est, regnum Ægypti.

Ego illa sum formica, quam pedibus conculcant;
Non sum apis, cujus aculeo mortales ingemiscant.
Quomodonam (justas Deo) pro hac benevolentia reddam grates,
Quod scilicet robur mortales lacessens non hábeo?

Historia: Quendam audivi religiosum, fortunæ angustiis pressum; qui veteres pannos consuebat, suumque animum hoc carmine placabat:

Sicco pane contenti simus, vestituque vili;
Onus enim propriæ miseriæ præstat, exprobrationi mortalium.

Quidam illi ait: Quid desides? In ista enim urbe vir quidam est natura benignus, qui universis promiscue beneficia præstat, lumbos enim ad servitium piorum accinxit, desideriisque animorum promptissimus adest: quod si egestatis conscius fuerit tuæ, piorum benevolentiam demereri, sibi muneris magni loco ducet. Pauper infit: *Taceto; Egestate mori præstat, quam necessitatem ulli exponere. Perinde ut ajunt:*

Inveteratos pannos præstat consuere, & patientiæ angulum colere;
Quam vestitus causa ditibus libellum supplicem scribere.
Idem profecto est ac Tartari cruciatus subire,

Vicini ope Paradisum irreptare.

Historia: Quidam Regum Persarum exquisitissimum Mustaphæ, pax sit super ipso, ministerio misit medicum, qui transacto aliquot annorum in Arabia spatio, nemine operam suam implorante, medicamentaque quærente, quodam die vatum adiit dominum, querens: Me certe huc medicandi causa miserunt primores, atque ad hæc usque tempora operam meam nemo æstimavit, ut scilicet munus mihi servo incumbens exequi potuerim. Vates ait: *Hæc huic genti vivendi est ratio; non, nisi stomacho latrante, comedunt; atque etiamnum pruriente, manum à cibo retrahunt. Medicus inquit: Hæc est unica bonæ valetudinis causa; proin solum osculatus, discessit.*

Sapiens tum temporis verba facere,
Cibove manum admovere cœptat;
Cum ex silentio damnum,
Ex abstinentia mors imminuerit.
Proin dubio procul verba ejus Sapientia erunt,
Ipsiusque comedere sanitatis fructum feret.

Historia: Quidam sæpissime resipiscebat, mox novis vitæ criminibus, vitiisque pœnitentiam profligabat: ut tandem venerandus quidam senex illum ita affatus, dixerit: *Novi equidem, multum comedendi consuetudinem apud te invaluisse; animæ vero vinculum, pœnitentia scilicet, capillo est tenuius; atque prout tu saginas affectus, vel catenam ruperint; accidetque, ut te aliquando evertant & perdant.*

Quidam lupi enutriebat catulum:

Enu-

Enutritus ipsum dominum dilaniavit.

Historia: In annalibus [a] Ardeschiri Babegani memoriæ proditum est, illum rogasse medicum Arabem, quantum cibi capiendum sit uno die? Medicum respondisse: Centum drachmas sufficere. Cui ille oblocutus, ait: Tantillum quid roboris homini præstare potest? Medicus reddit: *Illa cibi quantitas te satis bajulabit: si vero illam excesseris; tu cibi bajulus eris.*

Car: *Comedendum est, ut vivamus, summoque Numini laudes dicamus:*
Tu vero arbitraris, nos ideo vivere, ut comedamus.

Historia: Duo religiosi Horasanenses contracto inter se societatis commercio (ad utramque fortunam parati,) peregrinationem suscipiebant; unus corpore debilis, alternis diebus cibum semel capiebat: alter robustus, quotidie ter comedebat. Fato ad urbis alicujus portam pervenerunt, ubi affičto miseris tentatæ proditionis crimine, capti uterque in carcerem conjiciuntur, foribus calce oblitis. Post duarum hebdomadarum spatium, ipsos criminis insontes fuisse cognoscitur; foribus apertis robustum extinctum, debilem vero superstitem deprehendunt. Hinc nata mortalibus admirandi materies, quam sapiens quidam discussit, inquiens: Si res è contrario accidisset, admirandi materiem præstitisset. *Ille, quia maximus fuit helluo, inediæ impar occubuit: hic vero ex solito abstinens, inediam sustinuit, feliciterque evasit.*

Cum modicum comedere cuiquam institutum fuerit,
Si inedia eum forte presserit; facilius feret:
Si vero cuticulam curaverit profuse & laute;
Rebus angustis inedia perit.

Historia: Sapiens quidam filium suum ab ingluvie cohibuit, inquiens: *Multum comedere mortalibus morbos adfert.* Respondet filius: Inedia pater, perimit; ô nonne audivisti, quod facetioribus dici solet? *Satietate mori satius esse, quam inediam sufferre.* Pater inquit: Tu mediam insistas viam, Deus enim imperavit maximus: *Comedite* & *bibite; sed non profundite.*

Ne comedas tantum, ut vomitu cibum denuo rejicias:
Neque etiam tantillum, ut corpore inedia fracto, anima discedat.
Quamvis in corporea hac mole cibus sit delicium,
Modum si tamen excesserit; molestiam parit.
Saccharum rosatum, si nimium comederis; noxam adfert:
Si vero siccum parce comederis panem; saccharum rosatum erit.

Historia: Quendam morbo affectum rogarunt: Quid animus expetit tuus? Respondit ille: *Illud expetit, ut animus meus nihil expetat.*

Stomacho oppleto ventreque nascitur morbus,
Cui nec præsentissima prosunt remedia.

Historia: Apud lanionem quendam in urbe [b] Wasita religiosi aliquantum æris alieni contraxe-

traxerant: lanio suum quotidie flagitans, miseros acribus indignisque verbis laniabat. Religiosi probris illius graviter vexati, (de solvendo maxime soliciti erant; sed in præsens) nihil, nisi (injurias fortiter) tolerare poterant. Hinc cordatus quidam ex illis infit: *Facilius erat, spe cibi affectus; quam lanionem spe pecuniæ nutrire.*

Magnatum beneficia relinquere satius est;
Quam janitorum injurias devorare.
In desiderio carnis occumbere præstat;
Quam iniquas lanionum exactiones tolerare.

Historia: Viro cuidam liberali in Tatarico certamine graviter vulnerato, quidam infit: Est mercator quidam, qui unguentum habet præsentissimum; fieri potest, ut fortasse tibi flagitanti nonnihil largiatur. Narrant: mercatorem illum avaritia fuisse famosissimum.

Ita ut, si panis loco in mensa habuisset Solem;
Nemo ad extremum usque judicium clarum in hoc mundo vidisset diem.

Vir liberalis inquit: Si unguentum illud expetivero; dederit, aut negaverit: Si dederit; profuerit, aut non profuerit. Quovis modo ab ejusmodi viro aliquid petiisse venenum sit acerrimum.

Quicquid precibus à vilibus impetraveris,
Corpore quidem auctus; animo vero imminutus eris.

Sapientes enim dixerunt: ponamus, vitæ aquam vendi oculorum lacrymis, id est, honoris prostitutione; sapiens eam haudquaquam

quam comparaverit. *Præstat enim gloriose interire; quam vitam misere trahere.*

Colocynthidem * ex manu viri probi & benevoli si comederis,

Præstat; quam si dulce (sive saccharum) ex manu viri virulenti & vultu torvo.

Historia: Sapiens quidam numerosam habebat familiam, reditus paucos: rerum angustiis actus, divitum cuidam, de quo optime sentiebat, rem exposuit; qui petitione illius offensus, mendicandi prostitutionem in viro honesto turpissimam ducebat.

Novercante fortuna, tristis flebilique vultu carum amicum

Ne adeas; quia ipsius etiam voluptatem exacerbas.

Necessitatem alicui expositurus, læto ridentique vultu adeas:

Nequaquam enim male succedit negotium viri, qui est lætæ frontis.

Narrant: Divitem reditus ejus nonnihil adauxisse; honoris vero, quo ipsum prosequi solebat, plurimum detraxisse. Post dierum itaque aliquot spatium, cum solitum non experiretur amorem, infit:

Malus est ille cibus, quem necessitatis tempore acquiris:

Olla quidem bullit; sed honor decoquitur.

Panis meus augetur; honor meus minuitur:

Præstat omnino egenum esse, quam mendicandi vilitatem tolerare.

Historia: Religioso fortunæ angustiis presso aliquis infit: Vir quidam est longe ditissimus, si

si egestatis tuæ certior factus fuerit; spes equidem est, fore, ut ille in explenda egestate tua minime cunctetur. Respondet alter: Ego non novi hominem. Cui inquit ille: Ego tibi dux ero. Prehensa itaque illius manu, religiosum in ædes ipsius perduxit. Religiosus hominem vidit, labiis demissis, vultu tristem, altumque silentem. Visa hominis specie, retrocedit: dux retrocedentem, quid agis, rogat? Respondet alter: Ego donum ipsius, tristi illius vultui donavi.

Necessitatem viro vultu tristi ne exponas:
A pravo enim ingenio illius dolore afficieris.
Si animi curas atque dolorem cuipiam exponere lubet;
Exponas tali, à cujus læto ingenio mox beneficium sentias.

Historia: Alexandriæ annus admodum extitit siccus, ut patientiæ habenis ex mortalium arbitrio elapsis, obstructisque cœli foribus creaturarum clamores ob annonam ad æthera usque ferrentur.

Non reliquum fuit animal, non fera, avis, piscis, nec formica;
Cujus clamor propter inediam æthera non subierit.
Mirum equidem, fumum suspiriaque animorum clamantium, non coaluisse
In nubem; lacrymasque oculis fluentes, non versas in imbrem.

Anno illo ita calamitoso, homo quispiam nequissimus erat, flagitiis & sceleribus coopertus, (Deus ab amicis istum longe dimo-

veat,) ut qui in describendo eo verbum fecerit, bonorum morum limites transgredi videatur, præsertim præsentibus magnatibus. Illum vero per ignaviam prorsus omittere, fas haud erit; ne aliqui scriptoris inopi id tribuant ingenio, proinde rem duobus complexus sum versibus, ut scilicet brevis dictio rem magnam complectatur, unusque manipulus maximæ molis sit indicium.

Scytha, si monstrum hoc hominis interemerit;
Scytham vicissim ad supplicium rapere, nefas erit.
Quamdiunam fuerit perinde ut pons Bagdadensis,
Sub quo aqua, super quo homines ruunt?

Ita quidem homo erat, cujus ex parte descriptionem audivisti, longe ditissimus; qui pauperibus argentum aurumque subministrabat, peregrinisque mensam apparabat. Nonnulli religiosorum, paupertate inediaque fessi, epulas illius ambiebant; mecum vero super ea re consultantibus, prorsus reclamavi, inquiens:

Non comedit leo canis reliquias;
Etsi inedia intra speluncam intereundum sit.
Corpus inediæ inopiæque (potius) committas;
Quam manum, abjectum hominem stipem poscendo porrigas.
Etsi quis facultatibus opibusque fuerit Feridunus;

Tu

Tu tamen, si sine virtute fuerit; illum minime virum censeto.

Pannum variis coloribus distinctum, vestemque sericam inerti imponere

Est Cyaneum colorem & aurum obryzum parieti inducere.

Historia: Chatemtajum rogarunt: Numquid in hoc terrarum orbe te aliquem vidisti, aut audivisti animo nobiliorem? Respondit ille; Quodam die quadraginta camelos victimas dedi. Egoque cum primoribus Arabibus in campestrem aliquem locum prodii, hominem quendam vidi spinas colligentem, qui spinarum cumulum coacervaverat, cui dixi; Tu quare non properas ad Chatemtaji ædes, universus enim populus ad epulas illius confluxit? Ille respondit mihi;

Quicunque panem labore suo acquisitum comederit;

Chatemtaji exprobrationes non tulerit.

Ego hominem illum me ipso cordatiorem & liberaliorem vidi.

Historia: Vates Moses, super quo pax sit, quendam vidit pauperem, qui propter nuditatem corporis seipsum in arena condiderat. Pauper Mosem affatus, ait: O Moses, tu ora mihi altissimum Deum, ut ille mihi vitæ necessaria subministrare velit: egestate enim extinguor. Moses pro homine oravit, ut Deus illi facultates dederit. Moses post aliquot dies à cultu divino reversus, hominem vidit captum, magna populi frequentia cinctum; rogavit proinde, quid rei site? Responderunt illi: vi-

num hausisse, rixas movisse, hominem interemisse; jamque ad sumendum de ipso supplicium turbam confluxisse.

Inops felis si alas haberet;
Passeris genus ex orbe tolleret.
Fieri solet, ut miser atque contemptus, si potens evaserit;
Surgat, miserorumque manus obtorqueat.

Moses, super quo pax sit, sapientiam Conditoris universi agnovit, temeritatisque suæ veniam imploravit, hocque oraculum est effatus: *Si Deus amplas divitias servis suis dedisset; alter alteri in hoc orbe insultaret.*

O tumide, quidnam te in discrimen præcipitavit,
Ut interieris? *Utinam formica* [c] *non subvolaret!*
Abjectus, si dignitatem, argentum, aurumque obtinuerit;
Caput ejus colaphum omnino ambit.
Istud adagium nonne sapientum quidam protulit?
Longe satius esse formicæ, si alis destituta fuerit.
Pater ille (Deus) multum quidem mellis habet;
Sed filius per se satis calore fervet.
Ille, qui te potentem non fecit,
Te ipso res tuas rectius novit.

Historia: Quendam ex Arabibus, qui per avia incertis sedibus vagantur, in circulo gemmariorum [d] Basræ ita narrantem audivi: Mihi quondam in deserto viâ aberranti, penu-

ria

ria victus fuit gravissima: proinde inedia fessus animum paravi morti: Sed præter spem & opinionem sacculum inveni, margaritis plenum; immemor nunquam ero lætitiæ, gaudiique recentissime nati; opinatus quippe, tostum esse triticum. Sed mox, margaritas esse comperto, pristinus animi dolor, primus mortis horror denuo subortus fuit.

In deserto arido, solitudinisque arena
Sitibundi in ore, quid juvat gemma? quid juvat concha margaritifera?
Vir sine commeatu, si inedia fuerit fractus;
In cingulo aurum, an testam habeat, quid refert?

Historia: Arabs quidam in deserto nimia siti accensus ita ajebat:
Utinam ante obitum meum,
Uno die desiderii mei compos fiam!
Desiderium meum est fluvius, cujus undæ genua mea pulsent:
Ut ingrediens * utrem meum impleam.

Historia: Eodem modo in vastissimo deserto viator quidam via erravit, corporis viribus, viaticoque deficientibus, æs quidem in cingulo, sed frustra tenebat: Miser multum oberravit, viam vero in salutis portum non inveniens, inedia extinctus fuit. Homines quidam fato in illum inciderunt, æs ante faciem illius positum, hæcque verba solo inscripta viderunt:

Aurum, quod tenet, etsi totum fuerit obryzum,

Vir sine viatico; animi desiderium haud expleverit.

In deserto pauperi Solis calore adusto
Coctum rapum argento non signato præstat.

Historia: Nunquam iniquis temporum fatis ingemueram, neque ex cælorum cursu vultum contraxeram; nisi quodam forte tempore, cùm nudis pedibus incederem, neque tantum æris haberem, ut calceos emerem: Cusense templum animo tristis ingressus, quendam vidi sine pedibus; quo viso laudes gratesque divinæ dixi benevolentiæ, & pedum meorum nuditatem æquo animo sustinui.

Gallina assa in conspectu viri saturi
*Vilior est * cartami folio in prandio;*
Pauperi vero & inopi, qui facultates non habet,
Coctum rapum gallina assa est.

Historia: Quidam Regum cum aliquot præcipuis ministris suis, in venandi campo, hyberno tempore ab aula cultisque locis longius forte recesserat, invesperascente die, alicujus rustici conspexerunt tuguriolum. Rex inquit: Illuc concedamus, ne frigus nos male urat. Purpuratorum quidam ait: Fastigio regio indignum est, in pauperis rustici tuguriolo umbram quærere; quin hic figamus tentorium, ignemque accendamus. Rusticus rei gestæ certior factus, parata fercula adornans, Regi detulit, solumque deosculatus, infit: Majestas regia, in casulam meam concedendo, imminuta haudquaquam fuisset; Sed noluerunt, ut rustici status celsior evaderet.

Regi

Regi hæc tam opportuna rustici verba grata fuere, eademque nocte in casam ipsius concesserunt. Postridie Rex illum toga aliisque muneribus donavit. Audivi rusticum, prehenso Regis stapede, aliquot passus secutum, ita dixisse:

Potentia splendorque Regis nihil quidquam imminuta sunt
Eo, quod benigne respexit hospitium casulæ rusticanæ.
Rustici autem pilei apex Solem attigisse videtur;
Postquam tu Rex umbram in caput illius effudisti.

Historia: Horribilem quendam narrant mendicum, amplas satis divitias tenuisse. Quidam vero Regum illi dixit: Tu immensis divitiis locuples esse videris, meque grave negotium premit; si me opum tuarum parte sustentaveris, mutuo scilicet data; cum Regni vectigalia allata fuerint, tibi restituetur. Respondit ille: Indignum majestate fuerit tua, qui orbis terrarum es dominus, potentiæ tuæ manum meis mendici opibus fœdare; quas ego granatim congessi. Respondit Rex: Noli tu solicitus esse; ego enim æs illud daturus sum Scythis: Atqui fœda fœdis conveniunt.

Dicentibus, calcem subactam esse impuram,
Respondimus: nos (hiantes) latrinæ rimas eâ oblituros.
Quamvis aqua putei hominis Christiani sit impura;

 Si

Si eluturi mortuum fumus Judæum; quid refert?

Audivi mendicum Regis imperio acriter obnisum, argumentis rem suam propugnare, & impudentius agere cœpisse. Quo Rex accensus jussit, ut imperatam æris summam vi & vexatione extorquerent.

Res si benevolentia & comitate non successerit;
Tandem in crudelitatem vertatur (benevolentia,) necesse est.
Qui sui non miseretur ipse;
Alii ejus ne misereantur, æquum erit.

Historia: Quendam vidi mercatorem, qui centum quinquaginta camelos mercibus onustos, quadraginta servos, ministrosque habebat: Quadam nocte in Insula [c] Kisch me in hospitium suum deductum, totam per noctem stolidis sermonibus fatigavit, inquiens: Illum in Turcia mercibus administrandis habeo socium. Hanc auri vim in India. Istud est syngraphum, quo illius loci debitor mihi debitum profitetur. Atque hujus rei vir iste sponsor est. Modo dicebat: Animus Alexandriam cogitat, propter cœli clementiam. Modo, mutato rursus animo, subjiciebat: Alexandriam non propero, ob maris mediterranei discrimina: Hinc, ô Sade, aliud præterea iter meditor, quo peracto, vitæ reliquias in angulo aliquo tranquillus exigam, relicta prorsus mercatorum tessera. Ego, quodnam illud esset rogavi iter? Respondit iste: Parthicum sulphur deferam in Sinas; illic enim immensi pretii

esse

esse comperi: Fictilia Sinensia in Græciam: Ex Græcia pannum auro distinctum in Indiam: Chalybem Indicum Haleppum: Haleppensia vitra in Arabiam Felicem: Varii coloris telas ex Arabia Felici in Persidem:. Post hæc relictis negotiandi oneribus in officina quadam desidebo; tot stolida effutiebat consilia ut tandem ipse muliebri garrulitate fessus, me ita sit affatus: Tu quoque, Sade, audita visaque tibi nobis enarra. Ego respondi:

Hocne audivisti in campo f Gurensi
Viatorum ducem, camelo delapsum
Dixisse? *Angustum avarumque mundani hominis oculum*
Aut continentia, aut sepulchri humus opplet.

Historia: Quendam opulentum fuisse audivi, avaritia, perinde ut Chatemtajus liberalitate, famosum, qui divitiis quidem affluebat; sed avaritiæ vitium ingenium ipsius adeo fœde subegerat, ut ne unum quidem panem liberandæ animæ impendisset: ipsam Abu Hurira felem ne buccella quidem placasset: neque cani dormitorum in spelunca os projecisset: Ut rem absolvam paucis: Nemo unquam ædes ipsius viderat apertas, mensamve apparatam.

Pauperes præter cibi illius odorem nihil quicquam percipiebant:
Neque (propriæ) gallinæ, nisi pranso ipso micas sublegebant.

Audivi ipsum mari mediterraneo Ægyptum petiisse, animo, ut Pharaonem (quondam) infla-

inflatum, donec tandem testibus sacris literis maris undæ ipsum hauserint. Mox enim suborta tempestate navis agitari cœpit, (ipseque horrescere;) perinde ut verum est illud verbum:

Tristi naturæ tuæ, quid agat animus, ut non ex scelerum conscientia pœnam metuat?

Aquilo non quovis tempore navi aspirat.

Supplices manus ad cœlum tendere, magnosque, sed inutiles clamores edere cœpit, prout dixit Deus altissimus: Et cum veherentur navi, præcabantur Deum. &c.

Servo necessitate perculso, quid refert, supplices manus
*Tendere ad Deum pietatis causa, benefaciendi vero tempore eas * sinu condere?*
Auro argentoque (inopibus) benefacito,
Tibi ipsi quoque beneficia inde carpito.
Scito has ædes te defuncto superaturas;
Sive laterem ex auro, sive laterem ex argento statuas.

Tradunt scriptores, divitem illum in Ægypto propinquos habuisse pauperes, qui residuo divitiarum illius ditati sunt. (Auditaque clade & calamitate) vestes dilacerarunt, novas vero ex præstanti serico lana intertexto: † & Pelusiaco varii coloris panno pararunt: Ego eadem hebdomada quendam illorum vidi velocissimo equo incedentem, quem puer forma præstanti sequebatur, quo viso, mecum ita cogitari cœpi:

Ah! si defunctus denuo reverteretur

Ad

Ad propinquos familiamque suam ;
Reddere hæreditatem acerbius esset
Hæredibus, quam mortem propinqui ferre.

Propter amicitiam olim cum ipso contractam, manicam ipsius prehendi, & dixi :

Fruere, ô bonis prædite moribus, vir bone ;
Vilissimus enim ille opes congessit, nec iis frui sustinuit.

Historia : Corpore debili piscatori immensæ molis piscis in hamum inciderat, cumque piscem extrahere non posset, piscis piscatorem viribus superans, hamo erepto, evasit.

Abiit puer, ut aquam fluvialem afferret ;
Aqua fluvialis intumuit, puerumque abstulit.
Hamus semper piscem afferre solebat,
Nunc piscis evasit, hamumque abstulit.

Reliqui piscatores hominis sortem miserati, vecordiam illi exprobrarunt, dicentes : Ejusmodi piscis in hamum tuum incidit ; tu vero illum retinere non potuisti. Respondit piscator : O fratres, quid agam ? piscis mihi quippe prædæ non fuit, quia fatalis illi dies nondum adfuit.

Piscator recalcitrante fortuna in ipso fluvio
Tigri non ceperit piscem :
Atque piscis sine fato, ne in sicco quidem moritur.

Historia : Quidam sine manibus pedibusque millepedam interfecit ; cordatus quidam illac forte præteriens infit : Laudatissime Deus, mille quidem pedibus, quos tenebat, immi-

imminens fatum, ab homine manibus pedibusque truncato, evitare non potuit.

Si à tergo irruerit hostis animum auferens;
Fatum ligat pedem hominis currentis.
Illo momento cum hostis ingruerit densus,
Arcus [f] Cianeus tendi nequit.

Historia: Stolidum quendam vidi obesum, toga indutum pretiosa, equo Arabico insidentem, Ægyptiacis fasciis capite revinctum. Quidam inquit: O Sade, quomodo videtur tibi pannus iste aureus, insignibus notabilis, huic stupido animali impositus? Respondi ego: Similis est sordidæ scripturæ, aureis literis exaratæ.

Similis equidem est mortalibus asinus ille;
Ut [g]) vitulus ille corpore, voceque bovina prædītus.
Homini simile esse hoc animal dici nequit:
Nisi vestitu, pileo & externa hominis specie;
Perspice omnes ipsius vestes, res & facultates
Nihil equidem licitum esse inveneris, nisi sanguinem ejus.
Nobilis etsi fortaßis pauper fuerit; noli tamen ideo opinari,
Celsum ipsius gradum pauperem, imminutumque esse.
Etsi argenteum limen aureis clavis affixerit.
Iudæus; noli opinari, nobilem cordatumque fore.

Historia: Prædo quidam dixit mendico: Nonne

Nonne pudet te, propter tantillum, grani instar, argenti, manum cuivis vecordi præbere porrectam? Respondit ille:

Manum præbere porrectam propter argenti granum,

Præstat; quam ut eam propter assem semissemque præcidant.

Historia: Atletham quendam iniquis temporum fatis, edacis gulæ amplitudine, fortunæque angustiis fessum ferunt; qui patri proinde miseriam exposuit, itinerisque suscipiendi veniam petiit, inquiens: Iter mihi proposui, lacertorum robore desiderii sinum fortassis explevero.

Præstantia & ars inania sunt vocabula; nisi in forum producantur:

Aloen * igni imponunt, muscumque terunt.

Respondit pater: vanum atque impotentem conatum istum, ô fili, animo expellas, continentiæque pedem intra sinum contrahas; magni enim viri dixerunt: Amplitudo & divitiæ non acquiruntur annitendo: Inanis honorum via est, luctari.

Nemo amplitudinis sinum vi arripere potest:

Nisus inanis est, perinde ut collyrium cæci oculis illitum.

Si in cujusque capilli apice ducentas habueris artes.

Ars equidem frustra fuerit, si fors iniqua erit.

Robustus novercante fortuna quidnam fecerit?

For-

Fortunæ vis corporis robori præstat.

Filius inquit: Mi pater, peregrinationis commoda sunt quamplurima: Animus recreatur: multa utilia hauriuntur: admiranda cernuntur: stupenda audiuntur: urbes regionesque spectantur: cum amicis colloquia habentur: honores & mores acquiruntur: divitiæ quæstusque augentur: sodales cognoscuntur; temporumque vices probantur; perinde ut dixerunt religiosi:

> Quamdiu in officina Penatibusque hæseris;
> Nunquam, ô insipiens, vir evaseris.
> Mundum obeas atque perlustres
> Prius, quam tibi ex hoc mundo migrandum erit.

Pater inquit: O fili, eo, quo dixisti modo, peregrinationis commoda sunt quamplurima: Sed quinque mortalium generibus peregrinari concessum est. Primo, *Mercatori*; qui ære facultatibusque instructus, pueros, & puellas forma præclaras, ministrosque expeditos habeat, ut quovis die, in nova urbe; quavis nocte, in novo loco; quovisque momento in luxuriantibus campis, ex mundanis opibus animi desiderium expleat.

> *Dives nec in monte, nec campo, neque deserto peregrinus est;*
> *Quocunque iverit, tentorium figit, lectumque sternit.*
> *Ille vero, qui desiderium mundanum, (opes scilicet) consequi nequit;*

Etiam

Etiam domi & in patria peregrinus est, atque ignotus.

Deinde, *Sapienti*; quem propter sermonis suavitatem, eloquentiæ vim, elegantiæque momentum, quocunque iverit, omni officiorum genere colunt.

Corpus viri Sapientis, perinde ut aurum obryzum est;
Quocunque iverit, momentum pretiumque ejus norunt.
*Rudis vero divitis filius similis est * coriaceæ Regis monetæ;*
Quæ in aliena provincia nihil valet.

Tertio, *Formoso*; ut cordatorum animi, in consortium illius tracti, colloquia ipsius sibi lucro ducant, ipsique servire munus putent; viri enim magni dixerunt: *Pauxillum pulchritudinis multo auro præstat. Vultusque formosus unguentum est animis ægritudine sauciis, clavisque foribus occlusis.*

Formosus quocunque iverit, honorem & benevolentiam experitur;
Etsi pater materque ipsum irati domo exturbaverint.
Pennam † pavonis inter Corani videns folia,
Dixi: Dignitas hæc gradu tuo altior est.
Respondit illa mihi: Quicunque formosus fuerit;
Quocunque pedem posuerit, nemo illi obsistit.
In filio si obsequium pulchritudoque fuerint;

Nihil

Nihil metuendum est, etsi pater ejus fuerit
pertæsus.
Ipse unio est, dicas, ne intra concham lateat;
Unio enim singularis quemlibet emtorem habet.

Quarto, *Suavi cantori*; qui cantus suavitate ruentium aquarum cursum, aviumque volatum sistere possit: hujus enim virtutis munere mortalium animos aucupatur, cordatioresque consortium illius ambiunt.

Auditus meus suavi deditus est sono;
Quisnam ille est, qui duarum chordarum panduram tangat?
O quantum blanditur vox mollis atque acuta
Auribus virorum, sub auroram vinum potantium.
Vox suavis vultui formoso præstat;
Forma enim delitium est corporis, vox vero robur spiritus.

Quinto, *Artifici*; qui lacertorum virtute victum amictumque acquirat, ne honorem panis causa profligare cogatur; perinde ut dixere prudentes:

Si in peregrinum orbem ex patria discesserit;
Inopiam miseriamque non videt cerdo:
Si vero in peregrina loca inciderit ex Regno suo,
Famelicus jacet, [h] *Nimrusi Rex.*

Hæ, quas descripsi virtutes, in peregrinatione, animum quietum, vitam vero facilem, commodamque reddunt. Cui vero ex his omni-

omnibus nulla pars contigerit, inani captus opinione, in peregrinum orbem discedit: (mortuusque, si fuerit;) nemo memoriam vestigiaque ipsius commemorat.

In quemcunque iratus cœlorum cursus insurgit;
In contrarium, quam nititur, illi omnia tempora vertunt.
Columbum, qui nidum suum denuo videre non debet;
Fata in escam, laqueumque trahunt.

Respondit filius: Mi pater, quomodo sapientum refragabor sententiæ, qui ajunt: Opes etsi divino munere mortalibus sint distributæ; causæ tamen acquirendarum tractandæ sunt: malaque etsi sint destinata; irruentium tamen tempestates & occasiones sunt declinandæ.

Opes etsi sine dubio contingant;
Ingenium tamen docet, illas à magnatibus quærere.
Etsi sine fato moriatur nemo;
Tu tamen viperæ os accedere noli.

Illo enim, quo corporis robore polleo, cum horrendo elephante congredi; cumque ferocissimo leone pugnam conserere possim. Consultum equidem est, ut iter suscipiam, quia posthac paupertatis onus ultra tolerare nequeo.

Vir fortis si ex patriis Penatibus discesserit;
Quid tristabitur? quivis enim locus illi patria erit.

Quivis

Quivis locuples noctu suam repetit aulam ;
Pauper vero ubi à nocte oppressus fuerit , ibi aulam suam invenit.

Hæc dixit , atque faustum omen desideravit, patrique valedicens , discessit ; sub discessum hæc illum dixisse audiverunt :

Artifex , si fortuna illi ex voto non blandita fuerit ;
Abeat in locum quendam , ubi nomen ipsius nesciunt.

Donec tandem ad aquæ cujusdam ripam pervenit,quæ rapidissimo cursu continua saxa volvebat , strepitumque ad * milliare usque edebat.

Formidabilis adeo aqua , ut anates in illa non fuerint tutæ ;
Minima ejus unda molarem ex ripa rapiens volvebat.

Ubi aliquam hominum vidit frequentiam , quorum quivis dato unius aureoli naulo pontonem conscenderat , itinerisque sarcinas colligatas habebat : juvenis cum naulo non esset solvendo , (nautas) laudabat , atque obtestabatur, adeo , ut tandem lacrymas etiam fundere cœperit ; Sed illi nullam humanitatis officium præstantes , inquiunt :

Sine auro neminem cogere potes ;
Si vero aurum habueris ; nulla vi opus erit.

Nauta humani juris immemor , ridens inde aversus, infit :

Aurum si non habueris ; robore mare transire nequis.
Decem hominum robur si (hic) habueris ; quid

quid refert? unius hominis aurum tantum adfer.

Juvenis ignominia hac acriter accensus, vindictæ avidissimus injuriam istam ulcisci studet. Cum navis jam soluta esset, alta voce (ita) exclamat: Si hoc, quem gesto, habitu, contentus fueris; illum tibi dare haud pœnitebit. Nauta lucri avidus, navim mox retro vertit.

Avaritia Sapientis occæcat oculum;
Ipsaque habendi libido, avem piscemque in laqueum trahit.

Mox ubi juvenis manus, nautæ barbam atque collare prehendere potuit, illum (intrepidus) navi extractum, ferociter prostravit. Nautæ socius è navi, opem laturus, advolat; sed mox, ubi juvenis robur atque atrocitatem vidit, fugam capessit; consultum itaque rati, cum illo pacisci, ipsi naulum liberaliter remiserunt.

Si pugnæ tempestatem videris; moderatus esto:
Animi enim facilitas certaminis portam claudit.
Facilem te præsta, ubicunque pertinaciam videris;
Ensis enim acutus molle sericum non secat.
Linguæ suavitate, gratia, & benevolentia,
Ipsum elephantem uno pilo ducere potes.

Commissa crimina ut expiarent, sese ante pedes ejus prostraverunt, simulatâque conscientiâ aliquot oscula capiti, vultuique ipsius impresserunt, juveneque in navim deducto, discesserunt: donec tandem in columnam quandam inciderunt, quæ ex Græcorum ædi-

ficiis in aqua restiterat, tum nauta infit: Navis in summo versatur discrimine, quidam vestrum, qui ætatis flore, animi magnitudine, corporisque robore cæteris præstat, in hanc columnam eniti debet, qui navis restim teneat, ut nos navim reparemus. Juvenis juvenili animi magnitudine, qua tumebat, offensi animi simultatem nihil veritus, Sapientumque sententiam haud secutus est, qui docent: *Cujuscunque animum offenderis semel, etsi postea centum illi beneficia contuleris; à vindicta unius illius injuriæ securus esse nolito. Sagitta quidem eximitur vulneri; sed acceptæ injuriæ memoria in animo altißime residet.*

*Quam bene monuit * Bechtaschus Chiltaschum!*
Si hostem exacerbaveris; securus ne esto.
Securus esse nolito, in animi dolores incides,
Si te autore animus alicujus offensus fuerit.
Lapidem in arcis murum ne projicias;
Fieri quippe potest, ut ex arce lapis quoque ruat.

Interea temporis, dum hic navis restim brachio suo implicat, columnamque conscendit; nauta restim è manu illius (ferociter) eripit, navimque impellit. Miser ille veluti fulmine aliquo perculsus in columna (destitutus) hæsit: per biduum grave supplicium, miseriam, sustinuit, inediamque toleravit. Tertio die juvenis à somno oppressus, præceps in aquam ruit. Post noctem diemque ripam (natando) contigit, (ita confectus,) ut supremum jamjam reddere videretur spiritum, arborum folia

lia vorare, herbarum radices eruere cœpit; quibus nonnihil refectus, per avia oberravit, ut tandem sitibundus, famelicus,& moribundus ad puteum quendam pervenerit. Gentem circa puteum vidit collectam, quæ aquæ haustum teruncio bibebat: juvenis teruncio destitutus, aquam expetebat, negabant. Violentam itaque manum protendens, bibere institit, (obnitentibus vero hominibus) non potuit, hinc aliquot illorum ferocissime prostravit, illi vero numero superiores juvenem crudeliter pulsarunt & vulnerarunt.

Culices, si plures fuerint, elephantem pungunt;
Quamvis animal sit ferocissimum & violentissimum.
Parvæ formicæ si consenserint;
Ferocissimi leonis cutem lacerant.

Necessitate itaque, ægritudine,& vulnere fessus, viatorum comitatum assecutus, cum illis perrexit. Sub noctem inciderunt in locum quendam prædonibus infestum, trepidos comitum vidit animos, pavore tremoreque jamjam moribundos. Quos proinde ita est affatus: Nolite metuere, in medio enim vestrum ego sum, qui unus viris quinquaginta satis resistere possum, cæteri quoque juvenes suppetias ferant. His gloriosis ipsius verbis erecti comitum animi, mireque consortio illius hilares, ipsum cibo potuque refecerunt. juvenis stomachus, (longa inedia) inflammatus pruriebat, proinde ex incredibili stomachi prurito aliquot buccellas comedit, aliquotque a-

quæ hauſtus potavit, quibus malignus ſtomachi illius ſpiritus placatus, juveniſque ſomno ſopitus, obdormivit. Eodem in comitatu forte ſenex quidam, vitæ ſubactæ, mundumque expertus, infit: O Socii, ego hunc cuſtodem veſtrum multum equidem vereor, imo magis, quam prædones ipſos, documento illius hiſtoriæ, quam referunt: Arabem quendam fuiſſe, qui cum aliquantum æris accumulaſſet, noctu Lurianorum metu, ſolus in ædibus ſuis ſomnum non capiebat. Quendam itaque amicorum ſibi adjunxit, ut ſcilicet ſolitudinis formidinem aſpectu ipſius exueret. Ille per aliquot noctes in conſortio ipſius fuit, donec conſcius æris, id ipſum abſtulit, atque diſceſſit. Poſtridie Arabem viderunt ſpoliatum, lacrymantem, quid rei ſit, rogarunt? Numquid latro tibi fortaſſis ſurripuit pecuniam? Reſpondit ille: *Nequaquam latro; ſed ipſe cuſtos abſtulit.*

Nunquam à ſerpente conſedi ſecurus,
Ex quo ſcivi pravum illius morem.
(Serpentis veneno) pejus eſt venenum dentis inimici;
Qui in mortalium conſpectu amicus apparet.

Quid ſcitis, ô ſocii mei? Annon juvenis ille ſit ex latronum numero, qui per aſtutiam comitatum noſtrum irrepſerit, ut opportunitate captata, ſocios ſuos certiores faciat? Conſultum equidem video, ut hominem relinquamus dormientem, & diſcedamus. Hoc ſenis conſilium gratum fuit juvenibus, athletamque paveſce-

pavescere cœperunt. Sarcinis itaque collectis, juvenem reliquerunt dormientem, qui tum demum se solum esse animadvertit, cum Sol humeros ipsius perstringeret. Capite levato viatores discessisse videns, multum equidem oberravit: sed viam in salutis portum perducere haud potuit, sitibundus itaque, & famelicus, vultu humi posito, animoque ad mortem parato dixit:

Quis ille est, qui mecum confabuletur, dum flavescentes habenis impositus discessere cameli?
Peregrino quippe nemo, nisi peregrinus, socius erit.
Peregrinos exagitaverit ille;
Qui ipse peregrinus parum fuerit.

Hæc dum loquitur; Regis ecce filius feræ vestigia secutus, à comitatu suo longius recessit, capiti ipsius adsistens, hæc verba audivit. Hominis formam intuitus, eam nitidam quidem; sed statum ejus miserum deprehendit, rogavit proinde: Tu cujas es? Et in hunc locum, quo fato delatus es? Nonnihil eorum, quæ miser passus, exposuit. Regis filius misericordia motus, toga beneficiisque collatis, fidum illi ducem adjunxit; quo duce, in patriam urbem reversus est. Pater, viso filio, lætus pro incolumitate ejus grates (Deo) agit. Eadem (forte) nocte, qua passus erat in navi, injuriam scilicet, à nauta, rusticisque factam, comitatus inhumanitatem patri enarravit. Ad quæ pater: O fili, nonne te abiturientem monui: *Fortem inopum manum esse ligatam, leoninasque ungulas fractas?*

Quam bene dixit inops gladiator ille!

Unum auri granum, virium quinquaginta libris pondo præstat.

Filius inquit: Nisi, ô pater, molestiam equidem subieris; opes non acquisiveris: Atque animam nisi discrimini dederis; hostem non superaveris: Granum nisi in incertum sparseris; messem non messueris. Nonne vides tantillo malorum, quod sustinui, quantas opes retulerim? per illosque apum punctus, quorum tædia devoravi, quantum mellis reportaverim?

Quamvis præter bona à Deo concessa, nemo quid comedere possit;
Non tamen in illis acquirendis pigritiam monstrare decet.
Urinator si crocodili rictum veritus fuerit;
Pretiosam margaritam nunquam acquisiverit.
*Inferior molæ lapis * immotus (& iners) jacet,*
Atque ideo gravissimam molem sustinet.
In speluncæ fundo (deses) quid comederit ferocissimus leo?
Accipiterque decrepitus vires unde acquisiverit?
Tu si intra domum tuam prædam habere volueris;
Manus pedesque tui araneæ instar sint.

Respondit pater: Fili mi, hac quidem vice fata benigniora tibi suppetias tulerunt, virtuteque viam monstrante, rosa tua ex spina, spinaque tua ex pede protracta fuit. Quia opibus

bus potens in te incidit, qui tui misertus hæc tibi dono dedit, miseramque fortunam tuam, cum esset expiscatus, beatiorem eam reddidit. Hoc autem raro contingere solet, atque de raro judicium formari nequit: (id est, rem raram nemo sibi certo spondere potest.)

Venator vulpem non semper (ex venatu) affert:
Accidere enim solet, ut aliquando tigris illum dilaniet.

Perinde ut quidam Regum Persarum pretiosam in annulo sculpturam habens, aliquando forte reficiendi animi causa, cum aliquot carioribus ministris, in jucundum Cyropolis campum prodiit, & imperavit, ut annulum globo famosi cujusdam conditorii affigerent, quique sagittam per annuli foramen trajiceret; annulum præmium haberet. Tum temporis quadringenti periti forte aderant sagittarii, Regis ministri, qui sagittam miserunt; sed illorum tetigit nemo. Quidam forte puer ex diversorii tecto, in omnia promiscue loca per ludum sagittas temere mittens, (benigniori usus fortuna) subsolano ictum dirigente, per annulum sagittam trajecit: unde illi annulum jure adjudicarunt, infinitaque præterea munera contulerunt. Puer exinde sagittam, arcumque igni exussit: rogatus, quare idipsum faceret, respondit: *ut prima ista (artis) gloria semper vivat.*

Quandoque accidere solet, ut viri etiam prudentissimi
Rectum non succedat consilium.

Quandoque fieri solet, ut & nesciens puer,
Haud intentus, sagitta scopum feriat.

Historia: Religiosum quendam vidi, qui in spelunca sedem sibi fixerat, foresque à mortalium consortio sibi præcluserat, neque Reges, neque principes hili æstimabat.

Quicunque sibi mendicandi portam aperuerit;
Ad mortem usque semper indigus erit.
Avaritiam desere, atque regnato:
Cervix enim avaritiæ expers, altissime surgit.

Quidam Regum istius loci ad illum ministros misit, qui dicerent: Spem in benevolis venerandi viri virtutibus posuimus, ut panem salemque in nostro convictu comedere velit. Venerandus annuit, quandoquidem vates exemplo suo docuit; non spernere convictum. Proximo die Rex præstitum officium excusaturus, religiosum adiit: religiosus assurgens, & Regem amplexus, quæsitis officiis coluit. Post discessum Regis, quidam amicorum rogat religiosum, inquiens: Tantus in Regem officiorum cultus præter morem tuum est, quid itaque arcani in eo? Resoondit ille: Nonne audivisti, quod dicere solent?

In cujuscunque convictu fueris,
Necessum est, ut in illius servitium assurgas.

Auris esse potest, ut per totum vitæ spatium
Tympani, cymbali, tibiæque sonum non audiat.
Visus durat, etsi hortus non varias ediderit delicias:

Sine

ine rosa, floreque Nasiraeo viget olfactus.
Atque pulvinar etsi plumis non fuerit repletum;
Somnus tamen capitur, supposito capiti saxo.
Sique defuerit amica tecum cubans;
Tua te manus amplecti potest.
Sed venter iste ignavus tot intestinorum voluminibus intortus,
(Vacuus) ringitur, & nihilo placari nescit.



CAPUT QUARTUM
De Taciturnitatis Commodis.
HISTORIA.

Cuidam amicorum dixi: *Taciturnitas hac de causa apud me pretium locumque invenit; quia utplurimum in sermone & bona & mala differuntur, inimicorumque studium non nisi mala captat.* Respondit ille mihi: O frater, inimico satius est, ne bonum videat.

Virtus in inimicitiæ oculo maximum est vitium:
Rosa quidem est Sadus; verum inimicorum oculo spina est.
Inimicus non præterierit virum pium,
Quin ipsi tanquam mendacissimo & improbissimo illudat.
Lux orbem terrarum illustrans, Sol rotundus,
Fœdus est in oculo cæci vespertilionis.

Historia: Quidam mercator, damno mille denariorum facto, filio suo inquit: Hanc jacturam ulli dicere caveas. Filius respondit: Mi pater, recte equidem imperas, egoque id nemini dicam; verum hujus silentii utilitatem mihi exponas velim, ut sciam, quid sit nego-

tia

tia celare. Pater inquit: Ne miseria nostra sit gemina: *Prima scilicet, æris jactura; altera vero inimicorum illusio.*

Inimicis propriam ne dixeris miseriam:
Illi enim, (quasi commiserantes,) Deus
avertat malum, verbis precantur; interea (clam secum) factum gaudent.

Historia: Præclari ingenii juvenis in studiis atque virtutibus egregie profecerat, naturaque præditus erat adeo rarâ, ut quodam forte tempore inter studiosos considens, ne unum quidem verbum mutiret. Pater infit: Fili mi, tu quoque eorum, quæ nosti, quidni aliquid in medium profers? Respondit ille: Metuo, ne postea me rogaverint, quæ nescio, meque pudor subeat.

Hocne audivisti, quendam religiosum applicuisse
Ferramentis calcei sui aliquot clavos?
Sinum ejus prehendit quidam prætor, (dicens:)
Veni, muloque meo ferramenta applicato.

Tibi nihil locuto nemo negotium facessit:
Si vero locutus fueris; dicta probes (necesse est.)

Historia: Cuidam magni nominis erudito cum homine profano controversia incidit: eruditus hominem argumentis nondum aggressus, clypeo projecto, quod ajunt, fugam capessit: Quidam illi infit: Tu ea, qua præstas scientia, virtute, præstantia & sapientia, quare non istis telis profanum petiisti? Respondit

ille: Scientia mea Coranus est, traditiones, graviaque patrum dicta; iste vero his fidem habet nullam, neque mihi auscultat; ego autem cui bono falsæ & impiæ ipsius religioni aures præbeam?

Quemcunque Corano, atque traditionibus superare non poteris;
Illi non respondendo, satis responsum erit.

Historia: Galenus rudi quodam homine viso, qui manu sapientis collari injecta, sapientem indignissime tractabat, ait: *Hic si sapiens foret; res ejus cum insipiente non eo pervenisset.*

Inter duos sapientes neque simultas, neque certamen oritur;
Neque sapiens homini vili atque (socordi) obnititur.
Insipiens si aspera dixerit;
Sapiens dulcedine singulari animum ejus placat.
Duo sapientes ne capillum quidem disrumpunt:
Atque eodem modo res se habet inter pertinacem & mitem.
Si vero uterque fuerit insipiens;
Et ferream catenam habeant; eam tamen rumpunt:
Quidam moribus inconditus alium ignominia affecit,
Patienter sustinuit alter, inquiens: ô tu, cujus felicia sint extrema!
Pejor sane sum eo, quod tu vis dicere:
Illud equidem scio, te non perinde ut me, mea vitia nosse.

Histo-

Historia: [a] Sahbanum Wajelum eloquentia dixerunt incomparabilem: qui etsi per annum integrum pro concione verba faceret; verbum nullum bis dicebat: Sed si res ipsa eadem forte postularet verba, alia oratione circuibat: hæcque una est virtus, quæ ad virtutes familiarium Regi pertinet.

Verbum etsi animum devinciat, dulceque sit,
Mereaturque, ut certitudinis splendorisque loco dicatur:
Si semel tamen dixeris; dictum ne repetas.
Dulcia enim semel comedisse, satis est.

Historia: Sapientem quendam audivi ita dicentem: *Nemo propriam fatetur socordiam, nisi qui, alio loquente, orationeque nondum finita, orationem orditur.*

Oratio suos habet fines, ô Sapiens:
Tu orationem alienæ orationi ne misceas.
Virtute, judicio, ingenioque præditus,
Verbum non fecerit, nisi silentium viderit.

Historia: Nonnulli servorum Regis Mahmudis rogarunt Husinum [b] Meimendinum, dicentes: Hodie, quid tibi Rex de hoc dixit negotio? Dixit alter: inter vos res nulla occulta manet. Responderunt illi: Tu regni prorex es, atque tibi quod dixerit, nobis haud dicere solet, neque consultum ducit: Alter inquit: *Ea nempe fiducia, qua me nulli quicquam dicere novit: vos itaque quorsum rogatis?*

Non quævis dixerit sapiens, quæ sciverit;

Neque decet eliminando Regis arcana de proprio capite ludere.

Historia: In emendis aliquibus ædibus ancipitis eram consilii; quidam Judæus infit: Ego ex vetustis hujus vici sum incolis, harum ædium, quales ipsæ sint, descriptionem à me petas, tu emere eas ne dubita, vitium equidem habent nullum: Respondi ego, Imo hercle, præter te vicinum.

Ædes, quæ tui instar habent vicinum,
Decem drachmas argenti adulterini valent.
At ista spe animus est erigendus;
Te quondam defuncto mille drachmis eas æstimatum iri.

Historia: Quidam Poetarum latronum adiit principem, laudibusque eum celebravit. Sed jussit ille, ut poetam vestibus spoliatum villa extruderent: canes poetam à tergo lacessunt, ille saxum humo tollere nititur; sed terram glacie induratam deprehendit. Fessus itaque miseria, inquit: *O vaferrimos hujus loci homines! canes solverunt; saxa vero ligarunt.* Latronum princeps his salibus de fenestra auditis, infit: O Sapiens, aliquid à me postula. Respondit ille: Propriam vestem postulo; si benefacere lubet.

Homo ab homine beneficia sperare solet:
Mihi vero in te nulla boni est spes, modo & malum mihi non feceris.

Gratus nobis erit à tua benevolentia discessus. Latronum princeps hominis misertus, vestem illi restituit, & pelliceam togam addi jubet,

jubet, ipseque aliquot argenti drachmas (munificenter) dedit.

Historia: Astrologus quidam domum suam ingressus, hominem peregrinum cum uxore sua sedentem deprehendit, ignominiarum flammas vomere, calumnias jacere cœpit, adeo ut jurgia & contentiones natæ fuerint. Cordatus quidam rei gestæ certior factus, inquit:

Tu, quinam sciveris, quæ sunt in orbe cœlesti;
Cum domi tuæ, quis sit, ignores?

Historia: Præco quidam gravi & incondita voce, seipsum mira vocis dulcedine præditum opinabatur, adeoque intenta voce inutiliter declamabat. Tu si declamantem audivisses; dixisses equidem, picæ vocem vocis ipsius cantum fuisse; vel hoc oraculum, vocum absurdissima est vox asini, ipsius nomine descendisse.

Quando præco ille asinorum pater rudebat,
Vocem edebat, quæ munitissimam
Persarum arcem [c] Istechar destruebat.

Vici incolæ, dignitatis causâ, quam sustinebat, molestiam ejus tolerabant, ipsumque offendere haud consultum arbitrabantur. Donec quidam præconum loci illius, occultis inimicitiæ stimulis ipsi infensus, eum visum ivit & dixit: In somnis te vidi, Deus bene vertat. Alter quid viderit rogat? Respondit ille: Vidi te mira vocis suavitate præditum, mortalesque cantu tuo delinitos. Præco parumper

rumper cunctatus, ait: O quam salutare hoc est, quod vidisti, somnium! me enim meæ admonuisti inertiæ, constat quippe vocem meam esse ingratam, cantumque meum hominibus gravem. Finem igitur feci, ne posthac amplius, nisi voce submissa, declamem.

Grave mihi est consortium amicorum,
Qui pravos mihi mores, virtutem esse prædicant:
Qui vitia mea virtutis & perfectionis nomine cernunt, (atque commendant;)
Spinamque meam, rosam & Iasminum monstrant.
Hostis enim ille est impudens atque frontis perfrictæ;
Quamdiu mea mihi non ostenderit vitia.

Historia: Quidam in sacrario [d] Sincheriano gratis alta voce preces præibat, voce inquam, quæ insuavitate sua auditorum aures raderet: eoque nomine hominem fastidirent. Sacrariique dominus erat princeps, æquitate bonisque moribus insignis, hominis animum haud turbaturus, inquit: Bone vir, hujus sacrarii vetustiores sunt præcones, quorum quivis quinque denariorum mercedem habet: tibi vero decem denarios dabo, ut in alium locum commigres. Consensit ille, & abiit. Post aliquod temporis spatium ad principem reversus, ait: O Domine, tu equidem rebus meis male consuluisti, qui me ex hoc loco decem denariis abegeris. Illo in loco, quo secessi, viginti denarios offerunt, ut alium in locum concedam; sed conditionem non accipio. Princeps arridens,

dens, inquit: viginti denarios accipere caveas; ipsi quippe quinquaginta denarios tibi lubentes dabunt.

Nemo ligone tam gravi stridore ex marmore raserit pulverem,
Quam sonus vocis tuæ admodum ingratæ radit mortalium animos.

Historia: Quidam voce admodum ingrata præditus, Coranum alta voce recitabat: cordatus quidam illac prætericns, infit: Tu quot mensibus quantum mercedis habes? Respondit ille: Mercedis quidem nihil. Instat alter: Quorsum itaque te tantis molestiis fatigas? Dixit, Dei causa. Alter ait: Dei causa ne adeo (operose) recitato.

Si tu hoc modo Coranum legeris;
Voluptatem Muhammedanorum extinxeris.

ROSA-

CAPUT QUINTUM

De Amore & Juventute.

HISTORIA.

PRoregem Hasanum Meimendinum rogarunt (inquientes:) Rex Mahmudus tot præstantissimæ formæ pueros habet, ut quivis naturæ miraculum & seculi delicium esse videatur: qui igitur fit, ut neminem illorum tanto studio & amore prosequatur, quanto Ajasum, forma non adeo insignem? Respondit ille: Quicquid in animum penetraverit, oculis pulchrum esse videtur.

Ver: Cuicunque Rex fautor fuerit benignus,
Etsi omnia mala patraverit; tamen placebit.
Illum vero, quem Rex ipse rejecerit,
Nemo ex tota aula amice tractaverit.
Si quis enim infesto vultu (aliquem) adspexerit;
Tum vel ipsa pulchritudo Josephi deformis erit.
Sin benigno obtutu aspexerit cacodæmonem;

Tum

Tum ut Angelus Deo cariſſimus apparebit.

Hiſtoria : Narrant, quendam magnatem habuiſſe ancillam forma præclaram, quam ille amore honeſto proſequebatur: Cuidam forte amicorum aliquando dixit : O ſi ancilla hæc tanta pulchritudine & præſtantia formæ, procacis linguæ & malorum morum vitio non laboraret! Reſpondit alter : O frater, amicitiam dum fateris; ſervitii ſpem exuas: Amantis enim & amatæ beneficio, Domini & ancillæ nomen tollitur.

Dominus cum mancipio forma præſtanti,
Si luſum & riſum inſtituerit;
Ne mirum videatur, ſi perinde ac Dominus
ſe molle & tenerum (præſtiterit;)
Dominus vero mancipii inſtar ejus mollitiem tulerit.

Ver : Mancipium aquam ferat, & ceſpitem faciat :
Mancipium enim mollius habitum (dominum) verberat.

Hiſtoria : Quendam vidi religioſum alicujus puellæ amore delinitum; occulti vero ipſius amores tandem in apertum & publicum eruperunt. adeo, ut miras exagitationes experiretur & animi dolorem contraheret; nec tamen amorem intermitteret, quin ita diceret :

Manum à tuo ſinu (O amica) non contraho;
Etſi me acuto acinace (fruſtillatim) conciderıs :

Præter

Præter te enim nullum habeo refugium atque præsidium :

Atque ad te, si confugiendum est, refugio.

Aliquando hominem corripui, inquiens: Tuo præclaro ingenio quid accidit, quod fœdissima libido illud superavit? Aliquandiu ille meditatus, tandem ita respondit :

Quocunque amoris Rex pertigerit ;
Illi ingens severæ pietatis robur resistere nequit.
Incorruptus quomodonam vixerit miser,
Qui ad collum usque in (vitiorum) lutum est prolapsus ?

Historia : Quidam alicujus amore ita captus fuit, ut judicio perdito mortem subire paratus esset : sed celsus desiderii illius locus periculosus erat, imo præsentissimi vitæ naufragii quædam charybdis : Minime buccella, quæ ipsius palato apparata ulla ratione esset : nec avicula, quę in ipsius laqueum incidere posset.

Si in oculo delicii (tui) tuum non æstimetur aurum ;
Tum aurum, an humum habeas, tua nil quidem refert.

Amici eum admonuerunt, dicentes : Hoc tuo vano consilio, quod nunquam bene succedere potest, abstine : quia multi alii hujus vani, quod tu agitas, consilii mancipia sunt, & vinculis in eadem servitute detenti tabescunt. Ille ad hæc alte ingemiscens, ait :

Amicis dicito : Me ne monetote ;

Quia res mea omnis ipsius remissa est * arbitrio.

Viri fortes robore & virtute
Hostes interficiunt; formosæ vero amicos.

Amoris lex hoc minime fert, ut mortis metu animum à formosæ amore deflectas.

Tu, qui vitæ tuæ amore, amore mori nolis;
Vanos & mendaces amores jactas.
Si amica potiri fata negent;
Tum amicitiæ lex in desiderio ipsius mortem subire jubet.
Surgam, quandoquidem præter hoc unum consilium nullum superat aliud:
Inimici omnes sive me gladio, sive me sagitta petant.
Si per fatum licet, manicam ejus prehendam;
Sin minus, abibo & super limine ejus expirabo.

Amici ipsius, quibus illius status curæ erat; magna ipsius infelicissimi fati miseratione & dolore tangebantur; eum sedulo monebant: (obnitenti)quoque vincula, sed frustra injiciebant.

O infandam miseriam! cum Medicus aloen præscripserit;
Ipse vero cupidus affectus sacharum expectat.
An audivisti, quod amata quædam clam
Impotentius amanti dixerit?
Quamdiu tui ipse rationem habueris;
Apud te meæ, quænam ratio esse possit?

Regis filiæ, quæ celsum aspectus ipsius desiderium

derium erat, in hunc modum narrant: Juvenis aliquis in campi hujus fronte frequens cernitur, elegantis ingenii, linguæ suavis, egregios sermones,& (perquam) admiranda plane dicta ex illo audimus. Prout res docet & colligere licet: cerebrum ipsius amoris curis; cor vero Veneris incendio laborat: quia amore correptus esse videtur. Filia cognovit, illum sui amore captum, istumque miseriæ pulverem se autore commotum esse; equum igitur juvenem versus impellit: Juvenis cum videret, Regis filiam ad se equum dirigere, profusis lacrymis, infit:

Illa, quæ me trucidaverat, denuo tandem
ad me venit:
Apparet sane, animum ejus trucidati sui
miseratione tactum fuisse.

Quamvis eum (Regis filia) inusitata comitate alloqueretur & rogaret: Cujas es? Et quodnam tibi nomen? Et quam calles artem? Juvenis tamen amoris pelago demersus, imo amoris impetu impotens sui, ne unum quidem verbulum proferre potuit.

Etsi tu septem Corani partes memoria recensere possis:
Amore si fueris captus, ne Alphabetum quidem noveris.

Institit Regis filia: Quare non mecum colloqueris, cum & ego sim ex religiosorum ordine, imo religiosorum mancipium. Tandem virtute oblatæ per amatam conversandi & colloquendi copiæ, ipse ex mediis amoris fluctibus

ctibus ipsum stimulantibus caput exerit, inquiens:

Prodigium est, data tua præsentia, meam
præsentiam existere posse.
Teque loquente mihi verbum superare posse.

Hæc dixit, atque lætus alta voce exclamans, animam Deo reddidit.

Ne mirum videatur aliquem in foribus tentorii amicæ extinctum esse:
Quin admirationem moveat vivus, quomodo inde animam salvus eripere possit.

Historia: Discipulus quidam singulari corporis pulchritudine pollebat; adeo, ut præceptor stimulante affectu, & impotentia humana, pulchritudine ipsius delinitus fuerit; & quidem adeo, ut frequenter hæc verba usurparet:

Adeo tibi operam do, ô divina pulchritudine prædite!
Ut ne mei ipsius quidem memoria mihi in mentem veniat.
A tuo aspectu non possum oculum dimovere;
Etsi ex adverso videam sagittam me petentem.

Aliquando filius infit: Quantum tu quidem meo Moralium studio & lectioni gnaviter allaboras, velim, ut meos quoque affectus morales diligenter observes: si quid fortassis in moribus meis ingratum videris; quod mihi vel (per ætatem) maxime placeat, id mihi indices,

dices, ut emendationi ejus operam dare possim. Respondit Magister: Hoc, ô fili, alium quempiam rogato; illo enim intuitu, quo te ego respicio, nihil, nisi virtutem, video.

Inimici oculo, qui utinam sit effossus!
Virtus vitium esse videtur.
Si vero unam habueris virtutem, & vitia septuaginta;
Amicus, non, nisi unam illam videt virtutem.

Historia: Memor sum, quadam nocte, caram meam amicam fores meas ingressam; qua visa, impotens mei, loco (impetu tanto) prosilui, ut manicâ fax mea fuerit extincta.

Noctu venit quasi in somnis illa imago, quæ vultu suo nocturnas tenebras illustrat:
Mirum mihi hoc fortunæ meæ munus esse videtur, undenam mihi tanta oriatur felicitas?

Consedit illa, atque me perstringere cœpit, inquiens: Quare tu, me visa, facem tuam extinxisti? Respondi ego: Quia visus est mihi venisse Sol. Atque faceti dicere solent:

Si vir aliquis insulsus candelæ lucem obfuscet;
Surgas, illumque in medio consessu trucides:
Si vero sacchari instar dulce ridens, suave fuerit labium;
Ejus manicam prehendas, candelamque extinguas.

Historia: Quidam amicam suam per longum

gum temporis ſpatium non viderat; viſæ ait: Ubinam es, tanto tui tenemur deſiderio? Reſpondit illa: *Deſiderium præſtat faſtidio.*

Tarda adveniſti, ô vaga imago;
Neque ſtatim ſinum tuum ex manu dimittimus.
Delicium, quod per intervalla viderint raro;
Non minus munus erit, quam ſi illud ad ſatietatem ſæpe viderint.

Delicium, quod cum ſodalibus venerit, afflictum venit: quia ſine ſodalium invidia & adverſo iis ſtudio, acceſſus ille fieri nequit.

Dum venis cum ſodalibus, ut me inviſas;
Etſi quidem veneris in pace (amicus;) hoſtis tamen ad bellum movendum venis.
Si quando amica cum ſodalibus commercium inſtituerit;
Parum aberit, quin me æmulandi ſtudium interemerit.
Ridens illa reſpondit, Ego, ô Sade, ſodalitii ſum candela:
Quid mea refert, ſi pyrauſta ſeipſam ambuſtam peremerit.

Hiſtoria: Memor ſum, me aliquando olim cum amica perinde ut duo amygdala in uno cortice conſortium habuiſſe; præter ſpem omnem iter mihi ſuſcipiendum incidit. Aliquanto poſt reverſum me corripere cœpit, inquiens: Tanto temporis ſpatio quare non miſiſti curſorem? Reſpondi ego: Calamitoſum mihi videbatur, curſoris animum & oculum tuo aſpectu & pulchritudine refici; me vero illo deſtitui.

O antique amice dicas; ne (quis) verbis mihi amoris pœnitentiam imponat:

Quia (ab amore ejus) resipiscere non possum, licet ipse gladio instet.

Invidia o me subit, si te quis ad satietatem usque aspiciat.

Rursus dico: Ita tamen non est; nemo enim ejus aspectu satiari potest.

Historia: Studiosum quendam honesto alicujus amore captum vidi, cui solo ipsius colloquio frui satis erat. Hinc (mortalium) incredibiles exagitationes ferebat, & immensam tolerantiam ostendebat. Aliquando ipsum monere cœpi, inquiens: Scio equidem, te hujus amore non quidem ad libidinem captum esse; neque amoris (tui) fundamento aliquam turpitudinis vilitatem subesse: Utut tamen est, celso doctorum fastigio minime convenit, seipsum reddere suspectum; atque inconditorum hominum exagitationes sustinere. Respondit ille: O Amice, correptionis manum à tempestatis meæ sinu contrahas; quia sæpius eandem rem, quam tu mihi proponis, solicito consilio sum meditatus. Sed deprehendi, facilius esse, propter ipsam tolerare exagitationes, quam ipsâ prorsus carere. Sapientes vero dixerunt: Animum cruciatui exponere facilius est, quam oculum à contemplatione ipsius retrahere.

Ille, qui sine illa (amica) vivere nequit;
Si etiam afflixerit, tolerare debet.
Quicunque animum delicio applicuerit;
Barbam alterius manui commisit.

Quo-

Quodam die illi dixi: Ab amica abstine.
Aliquoties ab eo tempore me dicti pœnituit:
Sed amicus ab amica minime abstinet:
Ego itaque animum ipsius voluntati conformavi:
Sive me benevolentia quadam ad se invitaverit;
Sive me severa objurgatione extruserit, id liberum illi est.

Historia: In primo juventutis meæ flore, prout fieri solet, & tibi constat, caput & amoris consilia cum adolescentula quadam præclara conferebam; quia voce ad miraculum usque suavissima pollebat, & forma quadam incredibili, perinde ac plenilunium splendebat.

Efflorescentes ipsius genas intueatur, * quicunque vitæ aquam haurire velit:
Sacchareum ipsius labium aspiciat, quicunque Saccharum comedere cupit.

Præter omnem expectationem in ea vidi contra (ipsius) morem actionem quandam mihi haud probatam: quapropter sinum ab illa contraxi, atque amoris illius lapillum fregi, inquiens:

Abi, & quodcunque tibi visum fuerit age.
Nostrum consilium cum non sequaris, proprium exequaris consilium.
Audivi illam abeuntem dixisse:
Vespertilio etsi ad Solis fulgorem non compareat;
Fulgoris pretium in Sole ideo non minuitur.

Hæc dixit, & iter ingressa discessit; ipsius vero animi dolor atque tristitia in me quoque penetravit.

Commercii occasionem perdidi; sed ignorat homo
Pretium jucundioris vitæ miseriis nunquam exercitus.
Heus! redi, & me interfice: quia coram te mori
Præstat, quam te discedente sine te vitam trahere.

Sed auspice atque duce Deo denuo reversa fuit, mutata Davidica voce, & deperdita Josephica pulchritudine: genæ ipsius perinde ut malum Cydonium rugis obsessæ erant, atque splendor incomparabilis pulchritudinis ejus obscuratus erat: sperabat illa, me eam amplexurum esse; sed ego in angulum deflectens, dico:

Illo tempore, quo tibi jucundæ juventutis flos esset;
Aspicientem te à tuo aspectu repellebas.
Hodie denuo reverteris, ut amicitiam cum illo redintegres.
Dum * Fetha & Samma apposuisti.
Teneri veris tui folium jam flavit;
Ollam ne admoveas; quia ignis meus refrixit.
Quousque exultas & fastum ostentas,
Et elapsi anni potentiam (in te) contemplaris?
Abeas ad aliquem, qui te desideret;

Molli-

Mollitiemque ostentes illi, qui tui emptor existat.

Viride gramen in horto dixerunt pulchrum est,

At mentem (hanc) capit ille, qui hoc dictum pronunciavit.

Vernantem juventæ ætatem

Animus amantium magis expetit.

Hortus tuus est porri satum;

Quo magis evulseris, luxuriat magis.

Tu ante annum discessisti (formosa) ut cervus (amabilis,)

Hoc anno rediisti ut (terribilis) pardus.

Sadus tenerum amat juventæ florem;

Non amat hirtas in corpore setas.

Si (pauxillum) temporis expectaveris, & pilos produxeris;

Tum illa formæ venustas perierit.

Utinam mihi sit imperium in animam, quod tibi est in pilos! Non sinerem, ut illa æternum ex corpore exiret.

Rogavi ego inquiens: tui vultus pulchritudini quid evenit,

Quod formiculæ Lunæ faciem occupaverint?

Subridens inquit: Nescio quid meo evenerit vultui:

Nisi, quod (amissæ) pulchritudinis luctu pullam induerit barbæ vestem.

Historia: Advenam quendam Bagdadensium Arabum genti insertum rogarunt, inquientes: Quid tibi videtur de formosis puellis? Respondit ille: Nihil boni inest ipsis:

 Quam-

Quamdiu aliqua eorum pulchella eſt, moroſam ſe præbet; & cum adoleverit, benigna evadit: Id eſt: Quamdiu pulchræ & gratæ ſunt, moroſas ſe præſtant; cum vero ætate forma defloruerit, benignas ſe exhibent & amicitiam oſtendunt.

Puella, quamdiu fuerit formoſa,
Verbis eſt acerba, moribus ſuperba.
Rugis naſcentibus cum adoleverit, & pulchritudo deperdita fuerit;
Cum hominibus (familiarius) converſari, & benevolentiam ambire cœptat.

Hiſtoria: Sapientem quendam rogarunt dicentes: Si quis cum puella formoſiſſima in conclavi ſolus deſideat, fores clauſas teneat, rivales dormiant, affectus ſtimulet, atque libido æſtuet, perinde ut Arabs ait: Dactylus maturuit, neque hortulanus (quo minus carpatur) prohibet: Numquid putas, religioſa pietatis conſcientia ipſum incorruptum fore? Reſpondet alter: Etſi ille à formoſa puella incorruptus manſerit; à maledicentium tamen calumniis non incorruptus erit.

Quamvis quidem homo liber ſit à malo affectu;
Non tamen à maligna ſuſpicantium calumnia liber erit.
Homo quidem propriam obire provinciam poteſt;
Sed (protervam) mortalium linguam compeſcere non poteſt.

Hiſtoria: Pſittacum cum corvo eadem concluſerant cavea, pſittacus ex horrido ipſius corvi

corvi aſpectu mire diſcruciatus, inquit: Quiſnam hic fœdus eſt vultus? Quænam hæc eſt forma triſtis? Quiſnam eſt iſte deteſtabilis aſpectus? Quinam mores iſti incompoſiti? O * corve, utinam inter me & te Orientis & Occidentis ſpatium interpoſitum eſſet!

Matutino tempore, qui vultu tuo viſo ſurrexerit,
Aurora beati illius diei, ipſi veſper erit.
Infelix aliquis (& deformis) qualis tu, tuo conveniebat conſortio:
Verum enimvero tui inſtar (deformis) in hoc orbe ubinam fuerit?

At vero mirabilius hoc eſt, corvum ipſius pſittaci conſortio mire offenſum, ſortemque ſuam deteſtatum, acerbiſſimam fatorum iniquitatem incuſaſſe, & comploſis præ dolore unguibus ita ingemuiſſe: Quænam hæc eſt fati iniquitas? Quænam iſta fortunæ aſperitas? Et quænam hæ inſtabiles temporum meorum vices? Profecto dignitati meæ hoc congruebat, ut cum corvo aliquo ſuper vineæ pariete exultans incederem.

Religioſo tantum ſupplicii & carceris ſatis eſt,
Quod inter nebulonum cohortem vivat.

O (bone Deus!) quodnam (tam ſonticum) admiſi nefas, quod me fatum hoc (tam diro) affecit ſupplicio? dum me conſortem huic tam ſtolido, ſuperbo, ignobili, atque garrulo (pſittaco) hoc malo vinculorum ſupplicio coercuit.

Nemo ad parietem illum conceſſerit,

Ubi imaginem tuam depinxerint.
Si tibi in Paradiſo fuerit locus ;
Tum alii (te fugientes) Tartarum ſubire malint.

Hanc ſimilitudinem ideo adduxi, ut diſcas : Quantum ſcilicet Sapiens inſipientem fugere ſolet; centies tanto inſipiens(& rudis)Sapientem horret.

Religioſus quidam in nebulonum conſortio fuit ;
Inter ipſos pulchellus Belchenſis(religioſo) inquit :
Si tu propter nos offenderis, triſtis ne conſideas ?
Quia tu in conſortio noſtro nobis quoque moleſtus es.
Inter ſocietatem,quæ ut roſa & hyacinthus ſe mutuo eſt complexa,
Tu ut aridum lignum ſuccreviſſe videris ;
Perinde ut ventus aliquis adverſus, atque frigus ingratum ;
Quin ut nix conſediſti ; & ut glacies, induratus non liqueſcis.

Hiſtoria : Sodalem quendam habebam, cum quo multos annos iter feceram, panem & ſalem comederam, atque incomparabile amicitiæ jus (utrinque) ſanctum erat. Tandem ille propter exiguum lucellum animum meum offendere ſuſtinuit ; amicitiaque ſoluta fuit. Nihilominus utrinque tamen tacitus quidam animorum amor & conciliatio fuit ; quia audiveram, quodam die (hos) duos verſus meos in ſodalitio quodam recitatos fuiſſe.

Imago

Imago mea dum advenerit dulci risu (effusa,)
Plus salis indit vulneri animorum vulneratorum.
Utinam cincinni illius extremitas in manum meam incideret;
Perinde ut liberalium sinus in manum pauperum.

Nonnulli amicorum, non quidem hac suavi verborum Venere inducti; sed singulari naturæ probitate propensi benignius testimonium (atque judicium) ferebant; (inter quos ille laudes nostras) egregie prædicaverat, atque pristinæ amicitiæ jacturam conquestus deploraverat, suamque culpam fassus erat: unde collegi, illum sua sponte in meam amicitiam propendere, proinde hos versus illi misi, eamque cum illo denuo redintegravi.

An non inter nos sanctum erat fidei & amicitiæ jus?
Tu offendisti,& malum amorem ostendisti.
Uno momento ab hoc mundo animum ad tui amorem adjunxi;
Nescius, te mutatum ita subito animum.
Adhuc tamen, si amicitiæ animum habeas; redi:
Longe carior eris, quàm antea fuisti.

Historia: Quidam mulierem forma habebat admodum præclaram, qua defunctâ, mulieris mater, decrepita anus, propter rationem * dotis in ædibus illius remansit, vir propter contubernium decrepitæ (socrus) mire discruciabatur animo: propter dotem tamen, illius

consortium nullá ratione effugere poterat. Quidam amicorum in matrimonio vivens inquit illi: Qua ratione agis post ereptam tibi adeo caram amicam? Respondit alter ille: Non aspicere uxorem (meam,) non usque adeo arduum est, quam aspicere ipsius matrem.

Rosa decerpta est, spinaque remansit:
Thesaurum abstulerunt, serpens * relictus est.
Oculo ipsum hastæ spiculum adversum aspicere præstat;
Quam vultum inimicorum intueri.
Oportet mille amicorum amicitias rescindi;
Ne unum inimicum tuum videas.

Historia: Memor sum, me in juventute quondam plateam quandam præteriisse, & puellam præclara forma præstantem conspexisse mense Augusto ferventissimo, cum nocturnus ejus ventus æstuans salivam in ore desiccaret: diurnus ossium medullam excoqueret. Per imbecillitatem humanam, (immensum) Solis æstum sustinere haud potui: quare ad parietis cujusdam umbram refugi, avide circumspiciens, annon quispiam vires meas æstu mensis Augusti fractas reficeret, & frigida meum (sitis) incendium restingueret. Præter omnem spem ex tenebroso ædium splendidarum atrio pulchritudinem quandam oriri video, cujus formæ elegantiam nulla linguæ eloquentia effari possit: perinde ac si in obscura nocte aurora prodiret; aut vitæ * aqua ex Cimmeriis tenebris surgeret; poculum

aqua

aqua nivali impletum manu tenebat, saccharo indito & vino eliquato temperatum. Nescio utrum aqua rosacea illud odoratum reddiderit; an vero aliquot guttas ex vultus sui rosa instillaverit. Ego ut paucis defungar, potum ex blanda illius manu acceptum hausi: atque præteritæ tædiosæ vitæ memoriam deposui.

O beatam atque felicem sortem illius oculi,
Qui in ejus vultum unoquoque mane inciderit!
Ebrius vino evigilare solet ad mediam noctem:
Ebrius vero pincernæ pulchritudine extremi demum judicii mane.

Historia: Quodam anno Mahmudus Rex Chorsemiæ cum Chitææ Rege proprii commodi causa pacem fecit: Ingressus ego templum Caschgeranum, quendam vidi puerum pulchritudine mira præditum, & singulari forma præstantem, adeo ut de eo dictum fuerit:

Magister tuus te festivos mores, & amores docuit:
Exagitationem, mollitiem, pertinaciam & iniquitatem docuit.
Ego nullum hominem ista forma, pulchritudine, statura & gestibus
Vidi; sed istos molles & blandos mores à sene didicerat.

Præfationem Syntaxeos Semachscherianæ manibus tenebat, atque legebat: Saraba Sei-

don Amran, *Seidus verberavit Amrum*: Accusativus patiens erat Amrus. Ego vero ajebam: O fili, Chorsema * atque Chitæa pacem iniverunt; num Seidus atque Amrus bellum fovent æternum? Quo audito, ridens patriam meam rogat. Respondi ego; esse Cyropolim. Ille infit: Ex Sadi dictis quid habes? Ego contra:

Amore correptus fui alicujus discipuli Syntaxin discentis; (sed) invadebat ille iratus.
Me, perinde ut Seidus in (Syntactico) certamine Amrum:
(Superbus) sinum contrahens * caput non elevabat, (ut aliquem respiceret;)
Sed num respiciat alios, qui sit superbus?

Puer infit: pleraque ipsius carmina hoc nostro loco lingua Persica circumferuntur; qua si illa recitaveris, facilius intelligentur nobis: *Loquitor hominibus ad captum suum.*

Ingenium tuum ex quo syntaxi sese applicavit,
Intellectus nostri ratio ex mente nostra plane periit.
Sed heus tu! in cujus laqueo amatoris animus prædæ est;
Nobis tecum, sed tibi cum Seido atque Amro res est.

Mane cum consilium ineundi itineris esset certum, quidam nostrorum comitum illi forte dixit: Iste est Sadus. Vidi itaque puerum præcipiti cursu advolantem, miris officiis humanum, atque nostrum discessum; cum vale-

valediceremus, ægerrime ferentem, atque ita dicentem: Tot per dies quidni dixisti, Ego sum (Sadus?) ut, quo gratus erga magnatum adventum judicaret, eos omnibus officiis & servitiis colerem. Ego vero respondi:

Te quidem præsente non prodit vox ista, Ego sum.
Respondit ille: Quid si in hoc loco acquiescas,
Ut te autore aliquid proficiamus?
Respondi: Non possum, hujus historiæ, quam vidi, autoritate motus.
Magnatem aliquem inter montes sedem fixisse vidi;
Qui paucis contentus, mundo (rejecto) in spelunca (sedebat.)
Quidni, inquam, in urbem migras,
Ut onus animi tandem liberior resolvas?
Respondit ille: Ibi plurimæ formosæ & pulchræ sunt:
Et cum lutum est plurimum, elephanti quoque labascunt.

Hæc verba dixi, osculoque capiti vultuique mutuo fixo, valediximus.

Osculari vultum amici quid juvat,
Atque eodem momento ipsi valedicere?
Sodalibus valedixit facie pomum,
Altera vultus parte rubrum, altera pallidum referens.
Nisi inter valedicendum ipso moriar discessus die præ dolore;
Ne me existimetis in amore æquum.

Historia: Pauper quidam pannosa penula indutus in comitatu peregrinantium Meccam comes nobis ibat. Quidam ex Magnatibus Arabum illi centum aureos dono dedit, ut familiam (facilius) sustentare posset. Præter spem omnem prædones Chafaschani comitatum invadunt, & omnia illi bona auferunt. Mercatores flere atque plorare cœperunt, & frustra opem implorare.

Sive precibus obtesteris, sive miserabiliter exclames;
Prædo tamen aurum (ereptum) non est redditurus.

Forte religiosus ille pannosa penula indutus primam animi constantiam retinuit, & nihil quicquam mutatus fuit. Cui ego dixi: Fortassis tuam non abstulerint pecuniam? Respondit ille: Imo & meam abstulerunt: Verum enimvero ego pecuniam illam non adeo amabam, ut illa ablata ægro animo doleam.

Non decet animum ulli rei, aut homini mancipare:
Quia animum ab illo revocare res est (imprimis) difficilis.

Respondi ego: Quæ tu dixisti, meæ conditioni conveniunt: ego enim juvenili mea ætate cum adolescentula quadam forte conversabar, verumque amorem colebam: adeo, ut Oriens ille, (quem preces fundentes aspicimus,) oculis meis ipsius pulchritudo esset; atque pretiosæ meæ vitæ quæstus ipsius conversationis commercium.

For-

Fortassis Angeli; non vero mortalium quisquam,
Formæ præstantia pares illi in terris esse possint.
Per amicitiam illam nefas esto, illa mortua posthac amicitiam colere :
Neque enim semine humano similis illi quisquam homo gigni potest.

Præter omnem spem pes vitæ ipsius in fati lutum præceps ruit, atque ardentissima ob discessum illius suspiria à propinquis ejus mota fuerunt, aliquot ego dies ipsius sepulchro assedi perpetuos, (gemens :)

Utinam illo die, quo fati spina in tuum pedem demersa fuit,
Cœli manus caput meum fatali gladio percussisset!
Ut hoc die mundum sine te oculus meus non aspiceret.
Heu mihi! qui capite humo, qua tu conderis, incumbo: utinam illa capiti meo incumberet!
Heu miseræ illi! quæ non acquiescebat, neque somnum capiebat;
Nisi rosas atque flores * Nasiræos primum substravissent:
Fatalis cœli cursus vultus ipsius rosam dejecit:
Atque spinarum radices super humo ipsius produxit.

Postquam illa consortio nostro esset erepta, votum vovi & sacrum consilium animo meo proposui, ut scilicet per reliquum vitæ meæ tempus

tempus affectuum stragulum contraherem, atque omni juvenili consortio abstinerem.

Quæstus maris esset quidem egregius, modò non esset fluctuum discrimen.
Consortium rosæ suave quidem foret, modo nôn esset horridus spinæ aculeus:
Hesterna nocte perinde ac pavo superbus incedebam in horto amicæ consortio (lætus)
Nunc vero, amica amissa, perinde ut serpens præ dolore in spiras collectus volutor.

Historia: Cuidam Arabum Regi retulerunt historiam Leilæ * atque Metschnuni, ejusque miserum enarrarunt vitæ statum; qui scilicet tanta virtutis præstantia & orationis facundia deserta petierit, habenasque regiminis sui manu emiserit: Rex jussit, ut illum adducerent; adductum ita corripere cœpit: (O Metschnune,) in nobili mortalium consortio quid damni vidisti, quod ferarum more deserta colens, jucundum mortalium commercium deserueris? Metschnunus gemebundus infit:
Multi amici me corripiunt, quod eam amo:
Sed an nullus eam aliquando viderit, ut tu (amoris mei) veniam comprobes?
Utinam illi, qui vitium meum carpunt,
Vultum tuum (O Leila;) animos in amorem rapientem viderent!
Ut pro aureo * malo, tui aspectu
Abrepti, (& velut obliti sui,) manus suas scinderent.

Ut

Ut res ipsa (locupletissimum) testimonium liti isti perhiberet, (eamque dirimeret;) Regem tandem ipsa cupido incessit, ut pulchritudinem ipsius contemplaretur quo cognosceret, qualis suam illa sit imago, quæ tantæ calamitatis causa esse possit? Imperat igitur, ut eam quærant: Per Arabum familias quæsitam tandem inveniunt, & in vitrea lectica* conclusam Regi afferunt. Rex formam ipsius intuitus, videt mulierem colore fuscam, corpore debilem (& macilentam:) Regi satis videbatur misera, adeo ut infima ancillarum ipsius in gynecæo eam formæ pulchritudine & corporis cultu superaret. Metschnunus sagacimente tacitum hoc Regis de Leila sua judicium perspiciens, infit: O Rex, Metschnuni oculis te pulchritudinem Leilæ aspicere oportebat.

Tu meę calamitatis haudquaquã misereris;
Socium aliquem meum pari calamitate subactum esse oportet;
Ut illi historiam toto die enarrem:
Quia duo ligna una facilius (accenduntur &) ardent.
Illud, quod de mentione delicii ad aures meas pervenit;
Si turtur quoque campestris audiret, mihi congemeret.
O carissimi amici dicite illis, qui (amoris expertes divino quodam munere) liberati sunt:
Utinam tu intelligeres, quid sit in animo meo vulnerato!

(Sed),

(Sed) valentes & sani non sentiunt vulneris dolorem;
Neque ego, nisi pari miseria exercito, meam miseriam dixero.
Loqui de ape, supervacaneum fuerit,
Homini, qui per totam vitam ejus aculeum non senserit.
Nisi tecum res sit ita comparata, ut mecum;
Tum res meæ tibi fabula esse videantur.
Meum (amoris) incendium cum alterius conferre noli;
Perinde enim est, ac si ille salem in manu, ego vero vulnus in corpore habeam.

Historia: Narrant, judicem sacrum * Hamedanensem cujusdam fabri ferrarii filiam amasse; adeo, ut ferreus cordis ipsius calceus super amoris igne diu in desiderio ipsius exercitus tabesceret & perpetua inquietudine discruciaretur, eam magna cura observabat, quærebat, atque suum ipsius statum ita exprimebat.

Oculum meum cepit illa procera & pulchra statura;
Animumque meum mihi abstulit, meque in terram prostravit:
Hic oculus petulans animum illaqueat;
Si vis ut animum ad neminem applices, oculos claude.
A tua memoria nulla unquam ratione abstinere possum:
Sum enim serpens contuso capite, adeoque non

non possum, quin me volutando torqueam.

Audivi, puellam in via venisse ad judicem, postquam nonnulla hujus rei de judice ad puellam delata essent, quibus puella, supra quam dici potest, accensa, judicem audacter contumeliis infestavit, & multa indigna objecit: lapidem, quo eum percuteret, sustulit; nec quidquam injuriarum omisit, quo non judicem petiverit. Judex cuidam sapienti celeberrimo, qui ipsius sodalis erat, inquit:

Aspice hanc puellam atque ipsius furorem;
Ipsas rugas super palpebris blande contractas.
(Sed) in Arabia ajunt: *Dilectæ verberatio uva passa est.*
A tua manu pugnum ore excipere
Præstat; quam manu propria panem comedere.

Videtur equidem ab exigua illius verecundia iste petulantiæ odor proficisci. *Reges dura & aspera quidem verba palam dicunt; interea tamen clam pacem expetunt.*

Uva recens & immatura saporem habet acerbum;
Unum atque alterum diem expecta, donec dulcescat.

Judex his dictis ad tribunal suum rediit: Tum justi aliquot viri, qui ministerio & familiaritate ipsum colebant, terram deosculati copiam dicendi petunt, cum quædam necessario dicenda haberent; quamvis illud sit minus

nus modestum, & magni viri dixerint :

Non licet ob quodvis dictum controversiam movere ;

Atque magnatum crimina vituperare, crimen est.

Verum enimvero infinita Domini beneficentia servorum fidem sibi obstrinxit æternum, adeo ut si quid viderint, nec indicaverint, illud protervæ ingratitudinis sit exemplum. Vera virtutis & pietatis via hæc est; ne circa hanc cupidinem oberres, quin profundæ hujus concupiscentiæ stragulum contrahas, quia dignitas judicialis est locus plane celsus, quem fœdo (isthoc) crimine contaminare haud decet: puella ista est, quam vidisti, atque nova hæc injuria quanta sit, ipse audivisti.

Ille, qui pudorem suum prostituerit ;
Quid curat pudorem alienum ?
Sæpe accidit, ut bonum nomen quinquaginta annorum,
Unum infame nomen prosternat.

Judici hæc concors sodalium admonitio pergrata fuit ; ipsorumque bonum consilium & constantem in se fidem laudavit, inquiens : Consilium Magnatum rebus meis datum, vere est pium, & exemplum, quod nullo opposito argumento convelli possit. verum enimvero,

Si amor correptione tolleretur ;
Tum quidem (eam cupide) admitterem, *
etsi correptores falso (mihi) imponerent.
Me corripe, quousque lubuerit ;
Sed non potest ablui Æthiopis nigror.

Hoc

Hoc dicebat atque nonnullis id negotii dedit, ut puellam conciliarent, & opes immensas effudit, (quarum beneficio desiderium) suum explevit, prout ajunt: *Quicunque aurum in libra habuerit, is vires in lacerto habet: Qui vero opes in hoc mundo non habuerit, per totum terrarum orbem neminem (amicum) habet.*

Quicunque aurum viderit, caput submittens inclinat,
Etsi, ut Justitiæ libra (ferreum scapum,) ferreum humerum habuerit ipse.

Vt paucis absolvam, quadam nocte illius puellæ consortium contigit; sed illud eadem nocte prætor rescivit: scilicet, Judicem sacrum totam noctem vinum potasse, puellamque in consortio suo habuisse; deliciis captum, somnum non cepisse, atque carmina accinentem ita dixisse:

Hac nocte gallus suo tempore non cecinerit:
Quia amator nondum satis amplexus & osculatus fuit.
Vultus amicæ ex crispatis cincinnis effulgens,
Similis est pilæ eburneæ in orbe * clavæ ex ebeno factæ.
Uno illo momento, quo perfidus (inimici) oculus dormiverit,
Pervigil esto, ne vita iners transigatur.
Quamdiu non audiveris ex (summo) templo præconium vocis matutinæ;
Aut ex aula Atabeci strepitum tympani;

Labium

Labium super labio (furat,) perinde ut oculus salacis galli in amore.

Judex sacer dum his illecebris immersus hæret, ecce quidam familiarium foribus ingressus ait: Quid desides? quin surge, & quousque pedibus possis, fugam capesse: quia inimici tibi fraudem struxerunt, imō verum dixerunt. Age igitur, illud inquietudinis incendium, dum adhuc in herba est, moderaminis & prudentiæ aqua restinguamus; ne forte eveniat, ut crastino die, cum in flammam exarserit, orbem impleat. Judex subridens terram aspicit & infit:

Unguem si prædæ immiserit Leo;
Quid moratur, si advenerit canis?
Vultum in amicæ vultum converte, & sine
Ut inimicus manûs tergum rodat

Regi eadem nocte rem indicarunt, dicentes: In regno tuo ejusmodi patratum est scelus, quid fieri jubes? Rex infit: Ego illum ex præstantissimis hujus ævi sapientibus, imo hujus seculi ocellum novi, fortassis æmuli illi de industria insidias struxerint: ego equidem id minime credere possum; nisi illud evidenti ratione patescat, quia (Sapientes) dixere:

Qui ira (percitus) temere manum gladio admoverit
(Facti dolore) dentibus manus tergum applicuerit;

Audivi Regem circa auroram cum aliquot viris ex carissimis suis ministris (eum adiisse) & judicis pulvinari adstitisse: vidit candelam illic positam, puellam sedentem, vinum effusum,

sum, poculum vitreum fractum, judicem vero temulentiæ somno oppressum, ignarum Regem sibi adesse præsentem. Rex benevole judicem expergefecit, inquiens: Heus tu! expergiscere, quia jam Sol est ortus. Judex rem cognovit & rogavit: Ex qua mundi plaga ortus est Sol? Rex respondit, ex Oriente. Judex infit: Laus Deo (immortali,) quia pœnitentiæ porta adhuc est aperta, argumento hujus traditionis: Non claudetur pœnitentiæ porta servis, nisi cum ortus fuerit Sol in Occidente. (Et addit ipse;) Deum (criminum meorum) veniam oro, ad eumque pœnitens redeo.

Duæ res me in crimen præcipitarunt,
Fortuna mala, & ingenium debile.
Si me comprehenderis; dignus equidem fuero:
Si vero mihi ignoveris; venia pœnæ præstat.

Rex infit: Resipiscentia hoc momento, cum tibi capitis supplicium fuerit denunciatum, nihil profuerit.

Quid tum latroni profuerit à furto resipiscere;
Cum scalas superiori tabulato applicare non possit.
Procero dicas, ut fructibus manu decerpendis abstineat;
Quia parvulus per se manum in ramos protendere nequit.

Cum tu manifeste in tanto scelere sis deprehensus, nulla salutis via apparet; Rex his dictis eum supplicii præfectis commisit: Tum inquit

inquit Judex: Mihi in præsentia Regis unicum, quod dicam, superest verbum. Rex, quodnam illud sit, rogat?

Manica dum mihi incutis desperandi dolorem,
Noli opinari, me manum à sinu tuo contracturum.
Si liberatio nulla speranda fuerit, propter scelus mihi admissum;
Saltem propter tuam, quam habes, benignitatem, spes aliqua erit.

Respondet Rex: Istas facetias tu attulisti non vulgares, istudque verborum pondus, quod dixisti, est admirabile: Sed nulla rationis & sani judicii via permittit; imo & sacrum jus adversatur, ut hodie te tua eruditionis præstantia & eloquentiæ vis mei supplicii unguibus eripiat: consultum equidem duco, ut te ex castello in subjectam rupem præcipitem dent, ut alii ex te exemplum sumant. Respondit ille: O Domine orbis terrarum, sum tuæ aulæ alumnus, neque ego solus hoc nefas commisi; alium quendam præcipitem dato, ut ego ex illo exemplum sumam. Rex hoc verbo in risum commotus, crimen ipsi ex animo remisit, atque inimicis ipsius, qui ejus interficiendi autores fuerant, ait:

Omnes proprii dedecoris bajuli sumus;
Proinde aliena vitia ne vituperetis.
Sed qui proprium nævum cernit;
Aliorum nævum nunquam vituperat.

Histo-

Historia carmine conscripta:

JUvenis quidem casto amore & integris moribus erat;
Qui honestam & formosam deperibat puellam.
Ita legi: In oceano cum essent,
Ambos in Syrtes illapsos; (mox perituris)
Cum adesset nauta, ut manum juvenis prehenderet,
Ne forte ista calamitate periret:
Clamabat ille ex mediis undis:
Sine me (modo,) & amicæ meæ manum prehende:
Hoc dictum ipsius totus terrarum orbis est miratus.
Audiverunt eum, cum animam expiraret, (ita) dicentem:
Amoris historiam ex isto infido homine ne discas,
Qui calamitatis tempore amicitiæ obliviscatur.
Ita vixerunt sese mutuo amantes:
Tu ab illo, qui expertus est, discas, ut noris:
Quia Sadus ita viam & modum amandi
Novit, ut Bagdadensis * linguam Arabicam.
Si aliquam charam habueris, animum illi (soli) applicato;
Atque oculum à cæteris omnibus in hoc orbe claudito.
Si Leila & Metschnunus jam reviviscerent;
Amandi historiam & Artem ex hoc meo libro † discerent.

CAPUT SEXTUM

De Imbecillitate & Senectute.

HISTORIA.

ME in templo Damasceno cum studiosis disputationem habente, ecce juvenis quidam foribus ingressus infit: Quis vestrum linguam callet Persicam? Me monstrarunt; egoque monstrantibus annui. Hinc juvenis inquit: Senex quidam centum quinquaginta annorum, jam ultimum vitæ spiritum redditurus, lingua Persica aliquid loquitur, nos vero (linguæ ignari) loquentem non intelligimus: quod si per benevolentiam, accedendi onus subieris, pietatis officium feceris: fortassis antequam abeat, aliquid monuerit. Cum prope jam ad pulvinar accessissem, hæc verba effundit:

Me aliquot spiritus ex lubitu tracturum, (id est, aliquandiu etiamnum victurum) dixeram.
Sed ah interceptus est animæ meatus!
Ah ex variæ vitæ epulis
Aliquot tantum spiritus comedimus, meque satis jam comedisse, (fata) dixerunt!

Ego senis dicta Damascenis Arabice sum interpre-

terpretatus, mirantibus longum vitæ spatium, intemperatamque de vita mundana hominis solicitudinem. Tum ego seni dixi: Quomodo te habes hoc in rerum momento? Respondit ille: Quid tibi dicam:

Nonne vides, quantam homo patiatur miseriam,
Cum unum tantum ori illius exemerint dentem?
Æstima ex eo, qualenam illud possit esse momentum,
Quando ex præclaro illius corpore tota migraverit anima.

Ego seni dixi: Hæc mortis ludibria & opiniones animo expellito, ipsamque naturam falso metu ne frangito; Philosophi enim dixerunt: Temperamentum perfectissimum non fidem æternitati, sævissimumque morbum non argumentum morti facere. Atque si jusseris, Medicum accersamus, qui te curet, ut melius habeas. Respondit ille: Frustra fit.

Dominus pigmentis fucoque ædes (frustra) ornare studet;
Cum collapsum dirutumque sit ipsum fabricæ fundamentum.
Peritus medicus manuum concussu * salutem se desperare prodit:
Cum senem decrepitum ægrotantem viderit.
Senex agonis, ultimique spiritus efflandi miseriam plangebat:
Aniculaque quædam illi a sandalum affricabat.

(Sed) cum temperamenti æquilibrio declinaverit natura;
Neque amuletum, neque medicamentum eam restituere potest.

Historia: Senex quidam historiam narrabat inquiens: Virginem juvenculam mihi matrimonio junxi; thalamo proinde floribus exornato, cum illa solus considebam, oculis animoque in illam defixis, per longas aliquot noctes nihil dormiens, jocis facetiisque illi blandiebar, ne rusticum aliquem pudorem indueret; sed consuetudini & consortio meo assuesceret. Inter cætera nocte quadam dixi: O magnam illam felicitatis sortem, tibi comitem! vigilem potentiæ nutum sive oculum! quod tibi senis matrimonium contigit, senis inquam, qui mundum vidit, temporis æstum frigusque gustavit, bonum malumque didicit, consortii jus fasque novit, amorisque officia præstat: mansuetus, amans, ingenii commodi, suavisque linguæ.

Si potero, animum tuum mihi devinciam;
Etsi me offenderis, non tamen offensus ero.
Atque si perinde, ut psittaci, alimentum tuum saccharum fuerit;
Dulcem etiam animam tibi nutriendæ impendero.

O te felicem! quod non incidisti in manus juvenis alicujus morosi, animo impotentis, iracundi, varii & mutabilis, qui identidem nova juvenilis vanitatis monstra edat, quovis momento nova consilia agitet, quavis nocte singu-

singulari loco cubet, singulisque diebus scortum aliquod habeat.

Noli aliquid boni sperare à lusciniis,
Quæ singulis momentis singulis rosis irrepantes modulantur.

Senes vero ex rectæ rationis virtutisque instituto, non ex juvenilis insaniæ arbitrio, vitam agunt.

Te meliorem quæras (ducem,) inventumque magno in pretio habeas:
Alioquin cum tibi simili tempus perdideris.

Senex ait: Hunc in modum multa ipsi protuli, adeo ut sim opinatus, jam illius animum in casses meos perductum, & me petita præda jam potitum esse. Sed ecce præter omnem expectationem, illa altum ingemiscens infit: Omnia illa, quæ tu in medium produxisti, argumenta mei ingenii trutinæ imposita, ne unius quidem verbi, mihi ex gente mea auditi, pondus æquare possunt: Scilicet, *Puellæ lateri affixam sagittam satius esse, quam senem*.

Postquam vidit apud maritum suum
Rem, jejuni labiis molliorem,
Dixit: Hæc res cum ipso mortua est:
Oratio [b] autem est propter dormientem.
Si qua femina, à mariti latere surrexerit pertæsa;
Multum mali contentionisque in ædibus illis orietur.
Senis enim, qui loco suo surgere nequit
Nisi virgâ, quomodo virga ad rem uxoriam surrexerit?

Rem ut paucis absolvam, implacabilem matrimonii discordiam divortium finivit; completo divortii [c] tempore, eam in matrimonium cuidam dederunt juveni, moribus truculento, vultu severo, paupertate presso, male morato, apud quem diram sævamque experiebatur sortem, vexationes atque angustias tolerabat, nihilominus hoc modo divinæ benevolentiæ grates agebat: Laus Deo, quod dirum senis elapsa supplicium, hoc optatum & certum tandem obtinui beneficium.

Non obstante & animi ferociâ & tua morum asperitate,
Importunitatem tuam tolero; quia tute es formâ præclarus
Tecumque mihi in Tartaro exuri præstat,
Quam cum altero isto in Paradiso agere.
Odor cæpæ ex ore forma præclari,
Gratior mihi est rosâ ex manu deformis.
Vultus formosus, vestis auro intertexta,
Vinum eliquatum, aloe, color, odor, atque hilaritas;
Omnia hæc feminarum sunt ornamenta:
Vir satis ornatus est hoc ipso, quo vir est.

Historia: Errorum meorum tempore in Mesopotamia seni cuidam hospes fui, qui locupletissimus filium forma habebat insignem. Nocte quadam mihi narrat, inquiens: Præter hunc in hac vita nullum sustuli filium: Arbor quædam in hac est valle mortalium frequentationibus famosa, ego multas noctes sub arbore illa, spirans gemensque Deum fatigavi, ut hunc tandem mihi concesserit filium. Patre

tre hæc mihi narrante, filium sodalibus suis in aurem audio dicentem: Utinam hanc ego, ubi sita esset, nossem arborem, ut precibus votisque, patris obitum accelerarem!

Bonus ille senex lætabatur, se filium habere ingenio egregium:

Filius vero patrem ludificans per ludibrium decrepitum vocabat.

Sed audi, (ô senex;) multi tibi labuntur anni, quibus

Patris tui tumulum * non invisis.

Tu quodnam patri tuo pietatis reddidisti officium,

Cujus tibi reddendi in filio tuo spem & expectationem ponere possis?

Historia: Quodam die roboris juvenilis fiducia citissimo pede iter feci, nocteque ipsa fessus & impotens ad montis radices restiti; debilis quidam senex viatores secutus ait: Quid jaces? surgito; hic enim non est dormiendi locus. Respondi ego: Quomodo pergam, pedibus itinere fessis? Senex ait: *Ire & (subinde) requiescere, satius est; quam currere & deficere.*

O tu, qui hospitio procul abes, festinare noli:

Meum sequitor consilium, & patientiam disce.

Equus Arabicus duos cursus citissimo pede facit:

Mulus vero paulatim incedendo noctes diesque pergit.

Historia: Juvenis quidam alacer, facetus,

hilaris, colloquio suavis, nostræ conversationis socius fuit: talis erat juvenis, qui nullius mali genere in vita turbatus, nullas unquam labiis à risu ferias fecerat: Per aliquod tempus forte conversandi copia non fuit; posthæc juvenem vidi, uxorem duxerat, prolem tulerat, radice facetiarum ipsius incisa, rosaque jucunditatis illius emortua: rogavi, quæ causa tam subito mores ipsius mutasset? Respondit ille: *Postquam pueros sustuli, puerilibus prorsus abstinui.*

Cum senium contraxeris, puerilibus abstine:
Jocos illecebrasque juvenibus relinque.
Adolescentium jocos à sene requirere noli:
Non enim in alveum refluit aqua semel elapsa.
Sementis, cum messis tempore jam adoleverit,
Non ita ut tenera, viridisque moveri solet.
Tempus juvenile mea manu est elapsum:
Ah Tempus illud animum inflammans!
Robur leoninæ ungulæ elanguit?
Nunc temporis perinde ut pardus * caseo sum contentus.
Mulier quædam decrepita capillos fecerat nigros,
Cui dixi ego: ô mater, senio confecta!
Capillos arte denigraveris, ponamus:
At certe tergum senio incurvum arte corrigi & rectum fieri nequit.

Historia: Quodam die stoliditate juvenili matrem meam acriter perstrinxi: illa animo mœsta,

mœsta, in angulo quodam considens, lacrymis per genas manantibus, dixit: *Numquid es oblitus parvitatis tuæ, qui tantam magnitudinem nunc ostendis?*

Quam bene anicula quædam filio suo dixit;

Quando illum vidit tigres subigentem, corporeque elephantino:

Quod si tu parvitatis tuæ temporis meminisses;
Quando miser impotensque in sinu meo jactisti:
Hoc quidem die nullam mihi faceres injuriam,
Cum tu es leo, ego vero anicula.

Historia: Divitis cujusdam avari filius morbo graviter conflictabatur, patrem monebant amici, dicentes: Consultum est, ut Alcoranum ipsius causa cures perlegendum, aut victimam cædas, atque distribuas, fortassis Deus altissimus (tui misertus) pristinam illi valetudinem reddiderit. Ille, oculis in terram dejectis, nonnihil cunctatus infit: In præsentia quidem Alcoranum perlegere præstiterit; grex enim longinquus est. Quidam cordatus, hoc audito, ait: *Corani lectionem hac de causa prætulit, quia in linguæ superficie versatur; aurum vero in animæ meditullio reconditum est:*

*O quam pessime Deo servirent *, precesque funderent mortales;*
Si precum cultusque pars in erogando ære consisteret!

Propter unum denarium, perinde ut asinus in luto hæret;

Si vero unum Hymnum velis; centum cantat.

Historia: Viro seni dixerunt, qua de re non ducis uxorem? Respondit ille: Vetularum mihi non placet consortium. Dixerunt, adolescentulam igitur ducas, cum opes habeas. Respondit ille: *Mihi seni anicularum non placet consortium: Adolescentula vero quomodo nam mecum, qui senex sum, vitæ societatem ineat?*

Robur requiritur, non aurum; quia heræ
Gratior est Venus, * quam Crœsi opes.

Historia carmine conscripta.

Audivi ego, hisce diebus Senem quendam decrepitum
Amore senili uxorem ducere constituisse.
Expetiit itaque virginem forma præclaram, nomine Margaritam;
Quæ, perinde ut arcula gemmarum, viris nunquam exposita erat.
Perinde ut mos fert nuptialis, magnus factus est convivii apparatus.
Primo vero certamine senis baculus collapsus procubuit:
Arcum tetendit, punctum haud tetigit: non enim suitur,
Nisi acu chalybea, vestis holoserica.
(Nata hinc discordia) Amicis questus, senex de injuria expostulare cœpit, dicens:
Meas ædes impudens illa everrit.

Inter

Inter maritum & conjugem tanta orta est contentio & lis:

Ut tandem ad prætorem, judicemque res devenerit; Sadus vero dixit:

Hujus discordiæ infamiæque causa nequaquam est adolescentula;

Sed tu, (ô senex) manum enim dum habes tremulam, Margaritam quinam persores.



ROSARII

CAPUT SEPTIMUM

De Disciplina & Bonorum Morum Instructione.

HISTORIA.

QUidam purpuratorum filium stolidum cuidam sapientum erudiendum misit, nuncians: Hunc mihi erudias; fortassis Sapiens evaserit. Ille per aliquod temporis spatium puerum docuit; sed nihil profecit. Sapiens virum patri illius ita renunciantem mittit: Hic nunquam sapiens evadet; quin me ipsum docentem etiam stolidum jam reddidit.

Quod si naturâ aliquis * fuerit capax;
Disciplina in illo fructum edit.
Nunquam vero bonum fecerit politor
Ferrum, quod naturâ pravum fuerit.
Canem (munditiei causa) septem [a] in maribus ne eluito:
Madidus enim cum fuerit, sordidior erit.
*Asinum * Christi etsi Meccam duxerint;*
Inde reversus, asinus tamen erit.

Historia: Sapiens quidam filios suos hortabatur, inquiens: O caræ patris animæ, artificium discite; in hujus mundi divitiis, potentiaque

nulla

nulla ponenda est fiducia; Dignationes enim extra urbis portam tecum non peregrinantur. Aurum atque argentum in itinere periculosum: aut prædo illud universum semel abstulerit; aut dominus ipse paulatim id consumserit. Ars autem fons est perennis stabilisque: atque artifex etsi divitias suas amiserit, nihil prorsus periculi est & mœroris: quia ars ipsa divitiæ sunt. Artifex præterea quocunque iverit, honorem invenit, primoque loco considet: Iners autem ubique buccellas colligit, angustiamque subit.

Difficile miserumque est; provinciâ motum, alterius jussis obtemperare,
Deliciisque assuetum mortalium ludibria tolerare.
Quodam tempore Damascus motibus turbisque agitata fuit:
Quibus cives Penatibus desertis per orbem dilapsi fuere;
Sapientes rusticorum filii
Admoti sunt consilio Regis, (regnique provinciis.)
Filii vero proregis vecordes,
Mendicantes per pagos oberrarunt.
Patriam hæreditatem si volueris; patriam scientiam disce;
Patris enim opes decem dierum spatio absumi possunt.

Historia: Quidam sapientum Regis filium docens inclementius verberabat, dirisque vexationibus præter modum exagitabat: filius verberibus fessus, præceptoris sævitiam pa-

tri exponit, pertæsusque vestes ex corpore misere lacerato rejicit. Quibus pater accensus, præceptorem accersit, atque ita affatur; Nullius equidem civis filium ita inhumaniter direque tractare ausus fuisses, ut filium tractasti meum: causam mihi, velim, dicas. Respondit præceptor: *Verbum dicendum est considerate, actionesque & gestus edendi sunt grati omnibus, præcipue vero Regibus: Regum enim facta dictaque per vulgus omnino feruntur; Vulgi vero dicta factaque idem (ac Principum) pretium non habent.*

Pauper etsi centum fœdas actiones admiserit, turpiaque dixerit;
Sodales ipsius ne centesimam quidem partem resciverint.
Rex vero si vocem actionemve unam ediderit turpem;
Fama illam de Regno in Regnum differt.
Proinde in excolendis Regiæ stirpis, Magnatumque moribus, majus afferendum est studium, quam cæteris plebejis.
Quicunque in pueritia bonis moribus non fuerit imbutus;
Adultus cum fuerit, sine virtute erit.
Arborem, dum recens est, prout lubet, inflexeris:
Adulta siccaque cum fuerit; non nisi igni recta erit.
Ramum (viridem) si correxeris; rectus erit.
Sed vana est opera tua, si aridum corrigere velis.

Præclarum institutum, comptaque præceptoris

ptoris oratio ingenio Regis arrisit, hinc togam & munera, virtutis scilicet præmia dedit, majorique dignitate extulit.

Historia: In Africa Magistrum quendam vidi, vultu severum, sermone asperum, moribus inconditum, humani generis hostem, ingenio mendicum, atque intemperantem. Muhammedanorum voluptas solo viri conspectu turbabatur, illiusque Corani recitatio mortalium animos lacerabat, teneri aliquot pueri, illibatæque puellæ in sævam illius manum inciderant, captæque tenebantur, neque ridendi, neque colloquendi copiam habebant: modo argenteo sive splendido alterius vultui colaphum infligebat, modo crystallinum alterius brachium intorquebat. Tandem audivi, aliquam iniquitatis illius partem fuisse detectam, hominemque verberibus inde expulsum. Scholam vero ipsius, viro cuidam dederunt pio, religioso, pacifico, bonis moribus prædito, mansueto, qui ne verbum quidem, nisi re flagitante, dicebat, neque unquam inconditam aliquam vocem, humanæ discordiæ semen stimulumque proferebat: Pueri formidine prioris magistri deposita, Angelicisque hujus moribus perspectis, Furiarum naturam rabiemque induerunt. Mansuetudinis illius fiducia, scientiæ desertores, plurimum temporis ludo absumserunt, tabulasque nondum perlectas, sibi invicem capitibus infligentes, frangebant.

Præceptor peritus sine severitate si fuerit;
Pueri in foro ursum luserint.*

Post

Post duas hebdomadas templi fores, in quo schola erat, præteriens, primum vidi Magistrum, quem conciliatum suo denuo loco restituerant. Jure accensus, Deumque testatus dixi: Dæmonem quare Angelis denuo præceptorem fecerunt? Senex quidam temporum rerumque usu doctus, verba mea audiens infit: Nonne audivisti, quid sapientes dixere?

Rex quidam filium suum in scholam misit;
Argenteamque tabulam brachio illius subdidit.
Tabulæ fronti auro inscriptum fuit:
Severitas præceptoris præstat amori patris.

Historia: Religiosi cujusdam filius hæreditate patruorum immensis divitiis potitus, fœdæ libidinis luxusque vitia sectari, opesque profundere cœpit. Ut breviter rem perstringam: Nihil scelerum, detestabiliumque criminum reliquum fuit, quod non fecerit; nullumque inebriantis potus genus, quod non hauserit. Ego ipsum aliquando monui, inquiens: O fili mi, opes aqua sunt ruens; deliciæ vero molæ revolutio: Multas scilicet facere expensas, datum est illi, qui certos reditus habet.

Quod si reditus non habes, sumptus parcius facito:
Nautæ enim carmen modulari solent:
Nisi in montanis pluvia caderet;
Uno anno vel ipsum Tigris flumen siccus alveus evaderet.

Sapientiæ, virtutisque viam ingreditor, lictis istis cuticulæ lenociniis atque illecebris: cum enim opes istas absumseris, miseriam patieris;

tieris, luxumque sera pœnitentia detestaberis. Filius gulæ, tibiæ, potandique dulcedine illectus, verba benevolis auribus non accepit, quin consilio obnisus, infit; *Præsentes corporis delicias futuræ miseriæ metu ludibriisque turbare, Sapientum judicio repugnat.*

Homines deliciis sueti, bonæque fortunæ,
Quare miseriæ metu, miseriam tolerent?
Vade & bono animo esto, ô sodalis animum inflammans,
Non enim hodie oportet crastini diei tædia mœroresque concoquere.
Imprimis vero dedecori foret mihi liberalitatis facile principi;
Qui munificentiæ nomen acquisivi, cujusque benevolentiæ fama orbem pervasit.
Quicunque enim liberalitatis beneficentiæque nomine fuerit famosus;
Illum non decet, auro compedes vinculaque injicere.
Quod si beneficentiæ tuæ fama latissime fuerit sparsa;
Non poteris tum animo tuo munificentiæ portam claudere.

Vidi ipsum consilium meum non admittere, ardentissimas meas preces in frigido illius ferro fructum nullum producere, proinde monere destiti, illius consortio abstinui, & tranquillitatis angulum colui, Sapientum secutus consilium, qui ajunt: *Tu moneto, quod tibi monere incumbit; si non audierint, tua quid refert?*

Etsi

Etsi illos te non audire sciveris; tamen dicito,
Quicquid boni consilii, bonæque doctrinæ sciveris.
Brevi enim futurum, ut (ipsum) mente videas motum, atque confusum;
Et utroque pede in tragula captum;
Manusque ex mœrore concutientem atque ita miserantem:
Ah, me miserum, qui Sapientis consilio non obsecutus fui!

Post aliquod temporis spatium, imminentem hominis miseriam, quam pridem animo prævideram, reapse sum expertus. Vidi hominem ex inveteratis pannis vestes consuisse, buccellasque hinc inde acquirere. Qua iniqua illius sorte animus mihi quam maxime turbatus; inhumanum tamen ratus, eo rerum statu, animi illius vulnera atque dolores, duris perstringentibusque verbis exacerbare, salemque ulceri aspergere, quin mecum ipse ita putavi, & dixi:

Abjectus in ebrietatis æstu,
Non considerat imminentia paupertatis tempora.
Arbor æstivo tempore fructus profundit;
Atque ideo hyberno tempore sine foliis nuda restat.

Historia: Rex quidam filium suum magistro commisit, inquiens: Hic meus est filius, tu eum, perinde ut filios tuos, doctrina moribusque imbuas. Præceptor per integrum annum illi operam dedit; sed nihil profecit; filiis interea

terea suis in sapientiæ, eloquentiæque fastigium provectis. Rex præceptorem corripiens, ait: Tu datæ fidei defuisti, promissique fas violasti. Præceptor respondit: *O Rex, par fuit institutio; sed dispar ingeniorum ratio atque capacitas.*

Quamvis argentum, & aurum ex lapidibus
proveniat;
Non tamen in quovis saxo aurum, argentumque latet.

Historia: Senem quendam doctorem amico suo audivi dicentem: Si mortalium animi, ut opibus, ita opum Datori essent affixi; ipsos etiam Angelos antecellerent.

Tui non est oblitus Magnus ille Deus, illo
momento,
*Quando gutta * fuisti sepulta, atque sensus expers.*
Dedit tibi animam, rationem, naturam &
intellectum,
Formam, linguam, judicium, mentem atque
ingenium.
Decem tibi digitos in manibus ordine digeßit;
Duo brachia humeris tuis junxit:
Iamne primum opinaris, ô ignobilis ignavaque anima!
Quod vel unum diem tui immemor esse velit?

Historia: Arabem quendam vidi, qui filio suo dicebat: O filiole, tu profecto in extremo judicio rogaberis, quid sis lucratus, (id est, quæ pietatis officia præstiteris; aut scelera admiseris?) Non rogaberis, quo sanguine ortum duxeris. Id est: Rogabunt: Opus tuum

quod-

quodnam? non vero; quisnam sit pater tuus?

Tegmen bombycinum, quo templum Meccanum operiunt,
Non ideo famosum est, quia fictorem habet bombycem:
Sed quia aliquantum [c] temporis cum venerabili fuit:
Atque ideo tam venerabile evasit.

Historia: Proditum est in Sapientum monumentis, scorpionem non nasci modo naturæ usitato, cæterisque animantibus sueto; sed corrosis absumptisque genitricis visceribus, ventrem perrumpere, sicque in lucem prodire, illaque pellicula, quæ in scorpionis nido conspicitur, locupletissimum rei hujus est vestigium. Ego exquisitissimam hanc cuidam Magnati retuli sententiam, dicens: Animus meus veram esse hanc sententiam plane asserit, imo res aliter esse non potest; nisi quod parvuli cum matre patreque ita agunt: ea etiam de causa adulti ita grati scilicet atque amati esse solent.

Pater filium suum hortatus, ait:
O Juvenis hoc consilium memoriæ mandes.
Quicunque autori vitæ suæ benevolentia non responderit;
Nunquam acceptus felixque erit.

Per ludibrium scorpioni dixere: Hyberno tempore quidni ex nido proreptas? Respondit scorpius: Æstivo tempore, quis mihi honor & veneratio, ut hyberno quoque proreptem?

Historia: Paupercula cujusdam Religiosi conjux

conjux gravida fuit: imminente partus tempore, Religiosus, cui nullus per totam vitam natus erat filius, infit: Si æternus ille magnusque Deus filium mihi dederit, præter hoc, quod gesto, pallium, omnia, quæ possideo, Religiosis dilargiar. Propitio Numine conjux filium est enixa, ille lætans epulum sociis voti religione apparavit. Post aliquot annos ex Damasceno itinere reversus, vicum religiosi præterii, atque quomodo se haberet, rogavi? Respondere; Illum in prætoris carcere occlusum esse. Causam percontanti narrant: Filius ipsius vino ebrius furensque, manus conseruit, cædemque commisit, atque elapsus est. Hac de causa patris collum numellis, pedesque gravibus onerarunt compedibus. Ego dixi; istud equidem malum sibi anxiis precibus votisque à Deo efflagitavit.

Gravidæ feminæ, ô cordate,
Si partus tempore serpentem fuerint enixæ;
Illud præstat, prudentum judicio,
Quam si degeneres filios pepererint.

Historia: Infans quondam virum magnum pubertatis rogavi indicia: Ille mihi respondit; librorum fide & testimonio pubertas tribus indiciis liquet. Primum est: Ætas quindecim annorum. Alterum, nocturnum ludibrium. Tertium est, pilorum circa pudenda emissio. *Sed unum certum verumque habet signum, scilicet; Si quis voluntati potius divinæ quam corporis deliciis, illecebrarumque stimulis obsecutus fuerit.* Atque illum, qui hac virtute non

non polluerit, accurati scriptores puberem esse negarunt.

Formâ homo facta est aquæ guttula,
Quia in utero quadraginta dies (informis) latuit.
Atque si quis quadraginta annorum, judicio bonisque moribus caruerit;
Illum profectò hominem appellare dedecet.
Humanitas in liberalitate & benevolentia consistit:
Ne arbitreris illud corporeum simulacrum tantum hominem esse.
Virtute opus est: simulacrum enim pingi potest
In ædium parietibus ex minio & ærugine.
Quod si in homine virtus & benevolentia non fuerit;
Quid tum discriminis est inter hominem, & simulacrum parietis?
Hujus mundi opes acquirere non est virtus:
Sed alicujus animum tibi devincire, si potes, ea est virtus.

Historia: Quodam anno, inter illos, qui Meccam religionis causa pedites adierant, maxima nata sunt jurgia, egoque bene (vobis) ominans, in eodem itinere pedes fui, cum nos probe alter in alterius caput vultumque involassemus, satisque contumeliarum jurgiorumque edidissemus, quendam camelo insidentem † socio suo audivi dicentem: Mirum equidem est, eburneum peditem, [d] cum

Regii

Regii ludi campum fuerit emensus, Reginam evadere: id est, meliorem, quam antea erat, fieri. Pedites vero Meccam religionis causa invisentes, desertum * Meccanum emensos, pejores evadere.

Meo nomine dicas peregrinatori mortalium exagitatori,
Qui cuticulam mortalium offensionibus lacerat.
Tu non es peregrinator; sed tuus hac de causa camelus;
Quia miser spinis vescitur, onusque portat.

Historia: Indo cuidam ignis [e] ludum discenti sapiens quidam infit: Tuus minime hic est ludus, qui ædes ex arundine habes constructas.

Verbum nisi præclarum beneque dictum sciveris, ne dicito;
Illudque, cujus non bonum fuerit responsum, ne rogato.

Historia: Homuncio quidam oculorum dolore perculsus, mulomedicum accedit, inquiens: Meos sanato oculos. Equarius medicus, illo, quo quadrupedum solebat, ejus quoque oculos inunxit unguento; (sed miser ille) cæcus evasit. Litem ad judicem detulerunt, qui infit: In medicum nullam sarciendi damni actionem habetis; hic enim nisi asinus fuisset, equarium medicum nunquam adiisset. Hoc nostrum ex dictis est studium, & documentum. *Quicunque scilicet magni momenti negotium imperito commiserit, præterquam quod*

damnum

damnum pœnitentia eluit, prudentibus levis ingenii argumentum quoque præbet.

Non committit vir prudens præclaro judicio præditus
Homini vili atque abjecto gravia negotia.
Stragulorum ex arundinibus textor, etsi quidem sit textor;
Non tamen admovent illum officinæ, in qua serica texunt.

Historia: Vir quidam magnus præclarum habebat filium, quo defuncto, patrem rogarunt: Quodnam filii tui tumulo inscribemus monumentum? Respondet pater, Sacri Corani oracula longe sunt sanctiora & digniora, quam ut talibus inscribantur locis, ubi temporum lapsu vetustate abolentur & putrescunt, mortales ea pedibus conculcant, canesque permingunt: Si omnino aliquid inscribere lubet, hi duo versus sufficiant:

Ah quovis tempore, cum in horto viridis herba
Cresceret, quam bono animo eram!
Hac præteriens, * amice, (tumulum meum invise) ut tempore verno
Herbam viridem ex mea humo nascentem videas.

Historia: Religiosus quidam virum præteriens divitem, servum suum manibus pedibusque acriter ligatum, ferocissime tractantem vidit, (hominis ferocia motus) infit: ô fili, tibi similem creaturam incomparabilis magnusque ille Deus, tibi in ancipio dedit, teque illi superiorem & dominum fecit: tu itaque divinæ

diviaæ benevolentiæ grates reddito, tantamque ferociam & immanitatem in hominem ne exerceto: Ne quondam in extremo judicio iste servus te melior esse appareat, teque pudor subeat.

Servo tuo ne pertinaciter irascaris;
Illum ne affligas, animumque ejus ne perstringas.
Ipsum enim decem (circiter) drachmis comparasti;
Nequaquam tua potentia formasti.
Illud judicium, tumor, atque furor quousque tandem?
Te enim ipso major est Dominus,
Tu ô Arslani [c] & Aguschi Domine,
Imperatoris tui ipse ne obliviscitor.

In traditione vatis extat, hanc in extremo judicio maximam fore calamitatem, ut scilicet pium servum in Paradisum ferant; improbum vero dominum in Infernum.

Servo, qui tuo obsequatur imperio,
Ne præter modum irascaris, atque succenseas.
Absurdũ quippe videbitur in extremo judicio;
Servum esse liberum, Dominum vero (mancipium) vinculis oneratum.

Historia: Quodam anno mihi ex urbe Belcha [f] iter Damascum [g] faciendum erat; viâ latronibus infestâ, juvenem quendam ære conductum, itineris ducem comitemque habui, scuto ludentem, validissimo arcu sagittas jacientem, omnia arma vibrantem, corporisque robore præstantem, adeo ut decem viri robusti, totis viribus connisi, arcum ipsius (vix)

tenderent, nemoque illorum, qui per orbem corporis robore erant famosi, ipsum prosternere valeret, (sed) illecebris adsuetum, domestica umbra (molliter) enutritum, rerum humanarum adhuc imperitum, itinerum ignarum, tonitrua tympani virorum fortium aures ipsius nondum perculerant, neque corusca gladiorum equitum fulgura oculos ipsius perstrinxerant.

In hostium manus captivus non inciderat;
Neque circa ipsum sagittarum imber ruerat.

Dum nos alter alterum celeri pede sequimur, juvenis ille quemvis murum vetustum nobis obvium, lacertorum robore disjecit, & quamvis arborem magna unguium virtute eruit, gloriosusque ait:

Vbinam est elephas, ut armos, lacertosque versantem videat?
Vbinam leo, ut volam, unguesque virorum sentiat?

Nobis ita incedentibus, duo ecce Indi, pone saxum latentes, capita efferunt, (irruentesque) nos interficere parant, unius in manu grande lignum, alterius sub axilla gravis cestra. (Quibus visis) ego juveni inquio: Quid cessas?

Ostende illam, quam habes fortitudinem & robur:
Hostis enim suo pede in tumulum ruit.
Sagittam arcumque juvenis manu vidi elapsum, ossaque trepida.

Non

Non quivis, qui pilum etiam sagittâ armaturam penetrante ferit ;
Violentum fortium bellatorum impetum sustinet.

Nullum aliud vidi consilium, nisi ut res, arma & vestes (ipsis) relinqueremus, animamque reportaremus incolumem.

Gravia negotia viro committas experto,
Qui ferocissimum etiam leonem restis laqueo subjiciat.
Juvenis etsi corpore fuerit robusto & elephantino ;
Certamen tamen hostis, pavore perculsus, equo incitato subterfugit.
Certamen bellatoribus ita est notum,
Perinde ut doctis canones scholastici.

Historia : Divitis cujusdam vidi filium patris sui tumulo insidentem, & cum pauperis filio hunc in modum disceptantem : Patris mei tumuli loculus est marmoreus, monumentum * aureis literis inscriptum, tumulus marmoribus constratus, tessellisque æraneis distinctus: tui vero patris tumulus cuinam rei est similis ? duo enim congesti sunt cæspites, duoque pulveris pugilli ipsi inspersi. Pauperis filius, hoc audito, infit : Tace ; pater enim tuus, antequam sub gravi illo saxo se moverit, & enisus fuerit, pater meus Paradisum jam contigerit. Ipsa enim traditio habet : *Mortem pauperum facilitatem & * quietem esse.*

Asinus enim, cui levius imponunt onus ;
In via facilius iter facit.

Pauper, qui iniquæ paupertatis molem toleraverit;
Faciliori animo mortis fores accedere videtur.
Ille vero, qui in deliciis, illecebris, luxuque vixerit;
Mori in his omnibus, dubium minime est, quin acerbum sit.
Tu omninò captivum, qui vincula evasit,
Feliciorem scito, viro illustri, qui in vincula incidit.

Historia: Virum quendam magnum hujus traditionis rogavi mentem: Hostium acerrimus tibi tuus est affectus, qui est intra latera tua. Respondit ille: Hæc vera traditionis mens est: *Inimicus, si beneficiis delinitus fuerit; amicus evadit: sed affectus, quanto magis illi indulseris, tanto vehementius tibi obnititur.*

Homo Angelicis moribus evadit, modicum comedendo;
Tu vero si quadrupedum instar voraveris, tabidi instar corruis.
Cujuscunque desiderium expleveris, tuo is obsequitur dicto:
E contrario affectus tum recalcitrat, & (acrius) obnititur, cum desiderium expleverit.

Historia: Quidam religiosorum specie, sed non moribus in consortio quodam considens, impudentiori ore querelarum codicem aperire, divitesque perstringere cœpit: verba eo pervexerat, ut diceret: *Pauperibus ligata est potentiæ manus; divitibus vero fractus est benevolentiæ pes.*

Bene-

Beneficorum in manu non est aurum:
Hujus mundi vero divitibus deest beneficentia.

Mihi, magnatum munificentia enutrito, ingrata fuere hominis verba, proinde dixi: O socie, Divites pauperum sunt reditus, in angulo desidentium annona, peregrinantium desiderium, viatorum hospitium, qui grave pauperum onus suscipiunt, ut pauperes ipsi respirent, atque tum primum ad cibum sumendum manum extendunt, cum clientes, sibique subjecti comederint, eximiaque ipsorum benignitas viduis, senibus, propinquis atque vicinis collata fuerit.

Divitum sunt legata, vota, epulæ,
Quinquagesimæ, strenæ, servorum manumissio, munera, atque victimæ.
Tu quandonam istam potentiam attigeris, qui nihil aliud potes,
*Nisi bis * genua in oratione flectere, & hoc quidem centenis fastidiis?*

Sive liberalitatis facultatem, sive precum spectaveris copiam, illa ditioribus longe sunt facillima, qui opes habent illibatas, quinquagesimisque [h] castigatas, vestes nitidas, mores attemperatos, animum curis defæcatum: Obsequii enim vis in bonis consistit buccellis, cultusque veritas in nitidis vestibus. Ab inani enim ventriculo quænam vis? A manu inopi, quænam liberalitas? A pede ligato, quænam inambulatio? Atque ab homine famelico, quodnam beneficium?

Diram noctu quietem habet ille,

 Cujus

Cujus proximi diei reditus incerti fuerint:
Formica æstate colligit;
Vt hyberno tempore otiari possit.

Otium in paupertate non datur, animusque compositus in egestate consistere nequit. Si enim quis preces vespertinas fuerit orsus, alius vero de vespertino cibo sit solicitus, num hic illi comparari potest?

Opes qui possidet, divino cultui (animo) studet,
Ille vero, qui fortunæ angustiis laborat, animi angustias habet.

Proinde divitum cultus propior est, ut à Deo audiatur & gratus habeatur, quia animo sunt composito & præsenti, non distracto & inquieto; res enim vitæ sustentandæ necessarias, disposuerunt, precesque ad cultum divinum pertinentes, digesserunt. Arabs inquit: Deus nos servet à pauperie extrema, (quæ hominis oculos in terram deprimit,) atque à vicinitate illius, quem non amavero. Atque in traditione vatis est: Pauperies in utroque mundo * est vultus nigror. Respondit alter: Nonne audivisti, vatem dixisse: Paupertas, mea est gloria. Dixi ego, tace mundi doctor verbis suis pauperie gentem quandam notavit, quæ benevolentiæ divinæ palæstræ, fatique sagittæ lubenter subscribit, omniaque Numini remittit; non illos, qui piorum habitum gestant, victúmque ab aliis datum revendunt:

O magni soni tympanum introrsus vacuum!

Sine viatico quiduam ordinaveris prælii tempore?
Avaritiæ vultum à mortalibus deflectas, si vir es;
Milleque granorum sphærulas precatorias manibus ne verses.

Pauper enim iners non acquiescit, nisi illius pauperies tandem in fidei defectionem desinat: Quia pauper proximus est, ut à Religione deficiat: nulla enim alia re, nisi opibus, nudi teguntur, atque captivi vinculis eximuntur; (At) nostri generis homines ad illorum fastigium quisnam evexerit? Atque eminens manus abjectæ manui quomodonam similis est? Nonne vides Deum maximum atque excelsum, in divino Corano de opibus illorum, qui participes sunt Paradisi, in hunc modum pronunciasse: *Illis scilicet opes esse certas, easque opes fructus esse. Ipsosque opibus & beneficiis affici in Paradiso, deliciis pleno.* Ut scias vitæ sustentandæ curis distractum, munditiei decore destitui; opes vero, tranquilli animi causam, sigillo quasi * signatas, & certas omnino facultates esse.

Sitibundorum oculis in somnis
Totus terrarum orbis fons esse videtur.

Ubicunque enim hominem videris, qui miseriā toleraverit, acerbitates devoraverit, comperies, illum avaritiā quævis præcipitia tentare, omnisque generis discriminibus haud abstinere, extremi judicii supplicium non expavescere, licitum ab illicito non distinguere.

Si quis canis caput glebā tramiserit;

Lætus assilit ossiculum opinatus.
Si duo loculum humeris portaverint;
Vilis apparatam mensam opinatur.

Divites vero, clementi Dei oculo respecti, licitarum opum beneficio ab illicitis sunt conservati: ego his verbis meis nondum enarratis, neque dictorum argumentis in medium allatis, inquio: Te humani juris non immemorem spero: (Sed audi quæso,) nunquid proditorem aliquem revinctis manibus vidisti, aut inopem aliquem in carcerem conjectum, aut honorem innocentis alicujus viri prostitutum; aut manum brachio præcisam, nisi ob paupertatem? Viri enim fortes, egestate urgente, in perfodiendis, latrocinii causa, parietibus comprehensi, compedibusque vulnerati cernuntur: ratioque concedit, ut pauperis alicujus affectus in vetitum nitatur, ipseque, si temperare libidini nequeat; scelere polluatur: *Venter enim & Venus sunt gemelli, unius scilicet corporis fratres, alter dum decumbit, altera stimulat.* Audivi ego, pauperem quendam in libidinis flagitio comprehensum fuisse, præterquam quod pudore suffusus, anxio etiam, ne lapidibus obrueretur, metu perculsus infit: O Muhammedani! aurum non habeo, ut uxorem ducam; neque eam virtutem, ut continentiam colam: Quid itaque agam, dum cælibatus in Muhammedana * religione non habetur? Atque ex omnibus tranquilli compositique divitum animi causis, hæc una est, quod quavis nocte delicium aliquod in sinu amplectantur: singulisque diebus quasi novam

vam juventutem induant, adeo ut coruſcans aurora præ nimia divitis pulchritudine eum veneretur, mobiliſque cupreſſi * pes præ pudore ſe in humum demergat.

Cruore * amantium, ungulas tinxit;
Digitorumque extrema ſanguineo colore * aſperſit.

Fieri quippe nequit, ut divites ſorte adeo benigna felices, vitiorum veſtigia terant, aut ſceleribus ſtudeant.

Animus, qui Paradiſi * virgines rapuerit atque abſtulerit;
Quandonam blandietur hujus mundi formoſis?
Si quis ſtimulante ventriculo recentes dactylos ante ſe habuerit;
Hoc ipſum facit, ne pendulos in palma dactylos ſaxis petat.

Plerumque inopes innocentem & illibatum ſinum criminibus polluunt, famelicique panem raptant.

Rapax canis carnem modo invenerit;
Non rogat, utrum Salichi * camelus, an vero Diſchalis ſit aſinus?

Multi viri vitæ temperatæ, paupertatis cauſa, in ſcelera ruerunt, ſuum honorem, ſanctamque religionem infamiæ vento dederunt.

In fame non reſtat temperantiæ virtus,
Paupertaſque (continentiæ) habenas pietatis manui eripit.

Hæc dum ego dixi, ecce patientiæ habenis ex pauperis tolerantiæ manu excuſſis, lin-

guæ ensem strinxit, contumeliæque equum in impudentiæ campum egit, atque in me impulit, inquiens: Tantis equidem laudibus illos extulisti, tamque inania ipsorum gratia verba fecisti, ut opinio sibi facile persuadeat, illos esse veneni paupertatis pharmacum, aut ærarii (erogandarum) opum clavem.

Sunt autem turba quædam elevata, superba, tumida, mortalium pertæsa, insatiabili auri, illecebrarumque studio flagrans, dignitati & rerum arbitrio totis viribus incumbens; verbum non fecerint, nisi vanum: neminem aspexerint, nisi vultu tristi & superciliosο. Sapientes mendicos appellant: Pauperes tanquam homines sine capite pedibusque vituperant: Solo divitiarum, quas tenent, fastu; atque dignitatis, cujus superba opinione tument, fastigio, primo omnium loco accumbunt, sibique cæteris mortalibus longe meliores videntur; illud minime ad animum revocant, ut scilicet alicujus gratia caput elevent: ignari Sapientum sententiæ, quæ ita habet: *Quicunque pietate est cæteris minor, opibus vero major, specie quidem dives, reapse vero pauper est.*

Iners, qui opum fastu se Sapienti prætulerit;
Illum asini nates æstimato, etsi bos * Ambræ fuerit.

Dixi ego: Illos vituperare noli, quia sunt Domini benevolentiæ pleni. Respondit ille: Erras longe: ipsi enim auri sunt mancipia; sed cui bono; etsi Martii mensis nubes sint; super nemi-

neminem tamen pluviam effundunt: Etsi Solis sint orbis, neminem tamen radiis suis collustrant: potentiæque equo insideant, cursum tamen non faciunt, (sive nulli benefaciunt.) Dei amore ne pedem quidem vestigio movent; ne unum quidem teruncium sine exprobratione & murmure dant. Opes immenso labore congerunt, per avaritiam defodiunt; ipsique inopes, cum penuria vitam transigunt: Sapientes (vere) dixerunt: *Avari argentum tum temporis ex humo in lucem prodit, quando ipse in humum abit.*

Alius magno labore nisuque opes acquirit:
Alius quispiam venit, easque sine labore
nisuque aufert.

Respondi ego: Magnatum tenacitatem non cognovisti, nisi mendicando: alioquin quisquis avaritiam & habendi cupidinem exuerit, illi liberalis tenaxque pares videntur. Lapis Lydius, quid sit aurum; mendicus vero, quis sit tenax, dignoscit. Respondit ille: Hoc quidem expertus dico, divites asseclas suos in foribus suis statuere, magnisque virorum roboribus committere, ne doctis, piisque viris aditus copiam faciant, manuque prudentiorum pectoribus injecta, dicant: Domi nemo homo est. Atque si verum fateri licet, verissime dixere.

In eum, qui ingenio, benevolentia, consilio atque prudentia destituitur,
Verissima sunt janitoris verba, Domi nemo est.

Respondi ego: Hoc utique divitum factum

excusari potest, quia multitudine illorum, qui beneficia expetunt, fatigantur; mendicorumque libellis ad animi dolores usque exagitantur. Ratio hoc certo statuit: Etsi solitudinis arena in uniones fuerit versa; mendicorum tamen oculos expleri non posse.

Avarorum oculi mundanis non explentur
 opibus;
Perinde ut puteus non oppletur rore.

Hatemtajus, qui vitam coluit campestrem, si in urbe aliqua habitasset; mendicorum multitudine fessus, ad incitasque redactus, ipse laceras vestes gestare coactus fuisset.

Infit ille: Ego certe divitum vicem doleo. (Sed) respondi ego: Imo vero felicitatis illorum æmulatione stimulisque exederis. Nos dum ita loquimur, verbisque alter alterum infestamus, quemvis peditem, quem ille immittebat, ego acriter repellere studebam; & quotiescunque Regi m fugam indicebat, ego Reginâ protegebam, ut tandem diligentiæ crumenam ære exhauserit, argumentorumque tela pharetra projecerit.

Caveas tu; ne clypeum in facundi certamine projicias;
Ille enim, præter tumidam eloquentiam & mutuo quidem acceptam, nihil habet.
Religioni, scientiæque omnes nervos intendas; magniloquus enim orator
Arma foribus præfixit, intra castellum vero neminem habet.

Tandem pauper argumentis exhaustus, atque à me

à me convictus, impudentem manum protendere,(me percutere,) contumeliosisque dictis lacerare cœpit, ex more rudibus recepto, qui dum argumentis hostem superare nequeunt,jurgiorum & inimicitiæ catenam tendunt: perinde ut Aser[n] simulacrorum fabricator, qui cum argumentis filium convincere non posset, in certamen surrexit, quemadmodum Deus altissimus ait: Nisi equidem abstinueris, te hodie lapidibus obruam. Ille me injuriis affecit, egoque in ipsum contumelias jeci:ille collare meum laceravit, ego vero barbam ipsius invasi.

Nos dum alter in alterum involamus,
Populus à tergo accurrens, ridet:
Digitumque consternationis præ admiratione totus orbis
Ex dictis nostris auditisque dentibus rodit.

Ut rem paucis complectar, controversiam nostram ad judicem detulimus, æquitatisque ipsius judicio nos submisimus; ut scilicet Muhammedanorum judex causam aliquam excogitaret, discrimenque inter divites pauperesque pronunciaret. Judex conspecta specie hac nostra, auditaque nostra oratione, caput meditabundus in togam demittit, postque longas meditationes, caput exerens, inquit: O tu, qui divites laudibus extulisti, pauperes vero improbare æquum duxisti; scito:*Ubicunque rosa est, esse quoque spinam: Atque in vino, capitis esse dolorem: Ubi thesaurus defossus est, latere serpentem: Ubi exquisitus unio, crocodilum hominis voratorem. Blandas hujus mun-*

di illecebras, acerbissimum sequitur fatum: Ipsisque Paradisi deliciis objectus est multorum obstaculorum murus.

Inimici injuriam ferre debet, qui amico frui voluerit:
(Quia) defossus thesaurus & serpens; rosa & spina; mæror atque lætitia conjuncta sunt.

Nonne vides in horto extare * odoratam salicem & aridum truncum? Eodem modo repериuntur inter divites pii, qui beneficia à Deo sibi collata agnoscunt, gratesque agunt: & improbi, qui ingratum animum produnt. Sic quoque inter pauperes, patientia insignes, impatientiaque turpes.

Si quævis roris gutta unio esset;
Perinde ut vilibus lapillis forum oppleretur.

Deo maximo altissimoque propiores sunt divites, qui moribus pauperes sunt: & pauperes, qui moribus studiisque divites sunt. *Divitum princeps est ille, qui pauperum dolores mæroresque suscipiat: pauperumque optimus ille, qui divitum nævos non tangat.* Deus altissimus enim dixit: Quicunque in Deo spem atque fiduciam collocaverit, Deus illi satis est. Hinc perstringendi vultu à me in pauperem converso, infit: ô tu, qui divites vitiis intentos, illecebris ludisque ebrios dixisti: profecto, ut dixisti, ejusmodi hominum genus id est: ignavum, virtutisque expers, beneficia, quæ à Deo acceperunt, (grato animo) non agnoscunt: opes corradunt, & defodiunt; comedunt, nemini vero beneficium conferunt; si verbi gratia,

tia, pluviam non plueret, aut diluvium orbem inundaret; suis subnixi opibus, pauperis miseriam nihil morarentur, Deumque altissimum non pavescerent.

Si alius egestate extinctus fuerit;
Mihi opes sunt, (inquit:) Quidnam anser diluvium metuat?
Multæ feminarum camelis in lecticis suis vectæ,
Non misertæ sunt ejus, qui arenis * submersus periit.
Abjecti si suum modo stragulum (malis salvum) eripuerint;
Quid refert, inquiunt, si totus orbis interierit.

Judex infit: Est certe hominum genus, iis, quibus exposui, moribus; quin & aliud est, quod mensam facile apparat; promiscuamque liberalitatem præstat, oculos non nisi verecundissime aperit, boni nominis, criminumque remissionis cupidum, hujus alteriusque vitæ particeps. Perinde ut sunt ministri hujus Regis orbis terrarum, stabiliti à Deo, qui ope divina adjutus hostes superat, gentium Dominator, qui aperta gentis Muhammedanæ loca ab hostibus defendit, hæres regni Salomonici, omnium hujus ævi Regum æquissimus, Musaffer Eddinus, filius Sadi, Deus maximus vitam illius semper conservet, potentiæque ipsius signa adjuvet.

Pater filio nunquam istam benevolentiam fecerit;
Quam liberalis tua manus domesticis fecit.

Deus

Deus quippe hujus orbis misereri voluit,
Ideoque singulari misericordia te hujus orbis Regem constituit.

Judex cum orationem huc provexisset; nostraque opinione acrius, eloquentiæ equum impulisset, potenti fati judicio manus dedimus, interque nos acta invicem remisimus, positis itaque jurgiis, conciliandæ benevolentiæ viam ingressi sumus, studioque caput alter alterius pedi imposuimus, in mutua oscula ruentes, litem duobus his versibus finivimus.

Ne hujus orbis motum iniquitatis incuses, ô pauper:
Infelicissimus quippe eris, si hoc modo obieris.
Tu vero, ô dives, dum animus manusque rerum arbitrium tenet,
Comede & dona liberaliter; sic hujus alteriusque vitæ consors fueris.



ROSA-

ROSARII

CAPUT OCTAVUM

De Conversandi Virtutibus.

HISTORIA.

Divitiæ mitigandis vitæ humanæ molestiis datæ sunt; non vero vita coacervandis divitiarum cumulis. Prudentem quendam rogarunt: Felix infelixque quis sit? Prudens respondit: *Felix est ille, qui comedit & seminavit: Infelix ille, qui obiit & reliquit.*

a Vota ne facito pro vilissimo illo, qui nullum pietatis officium præstitit:
Qui vitam suam acquirendarum opum studio consumsit, ipseque non comedit.

Divinus ille vir Moses q Carunem monuit, inquiens; Benefacito, quemadmodum tibi benefecit Deus. Non obsecutus ille, quam miserabilem habuerit interitum, satis nosti.

Quicunque auro argentoque nullum pietatis officium fecerit;
Ille, caput certe suum in auri argentique studio perdidit.
Quod si frui volueris hujus mundi opibus;
Tum mortalibus benefacito, quemadmodum tibi benefecit Deus.

Arabs ait: *Liberaliter benefacito: beneficium*

cium ne exprobrato, ut beneficii fructus ad te certo redeat. Hoc est: muneribus donisque certa, sine exprobratione, ut beneficentiæ fructum certo percipias.

Benevolentiæ arbor ubicunque radices egerit,
Rami fastigiumque illius ipso cœlo altius evadunt.
Quod si speras fore, ut aliquando fructibus illius vescaris.
Exprobratione radici illius securim ne admoveas.
Grates habeto Deo, quod benigne es illustratus:
Quodque te miserum immensa beneficiorum gratia destitutum non reliquit.
Noli tu gloriari, quod ministerium præstas Regi:
Quin gloriam esse existima, quod ille te suo dignatur servitio.

Monitum: Duo mortalium genera, inanes labores subeunt, atque in vanum nituntur: *Ille, qui quæstum facit & non comedit: Atque ille, qui scientiam discit, & actiones illi consentaneas non edit.*

Scientiam, quanto magis excolueris;
Cum sine piis operibus fueris, (tanto magis) insipiens eris.
Non enim magnus sapientiæ doctor, neque doctum evadit
Quadrupes, aliquot codicibus oneratum.
Illud enim rationis expers neque scit, neque cognoscit,.

Utrum

Utrum ligna, an vero codices bajulet.

Monitum: *Scientia tractandæ conservandæque religioni est; non vero absumendis hujus mundi opibus.*

Quicunque vitæ severitatem, scientiam, sanctimoniamque mortalibus venditaverit;
Fruges ille quidem cumulaverit; sed universas exussit.

Monitum: *Sapiens[c] temperatæ piæque vitæ expers, cæcus est, facem ferens, aliosque illustrans; ipse vero non illustratur.*

Quicunque sine fructu vitam consumsit,
Nihil comparavit, aurumque prodegit.

Monitum: *Regni decus & claritudo sunt Sapientes. Religionis perfectio, severo vitæ genere innocentes. Reges sapientum magis egent consilio, quam Sapientes Regum consortio.*

Hoc meum, ô Rex, si audis consilium,
In omnibus codicibus hoc nullum præstantius extat.
Nulli nisi Sapienti committas negotium:
Quamvis quidem sapientes rerum moli tædiisque obnoxii esse nolint.

Monitum: *Tria in hac rerum natura stabilia constantiaque esse nequeunt: Divitiæ sine quæstu, Scientia sine controversia; Regnumque sine pœna. Misereri pravorum, bonis est injuriam facere. Nefariisque crimina ignoscere, pauperes est affligere.*

Ignobilem si honoraveris atque demulseris;

Sub

Sub tuæ potentiæ umbra crimina admittit:
tuque criminum culpam una feres.

Monitum: *Amicitiæ Regum nulla habenda est fides. Neque suavi puerorum voci superbe nimis confidendum: Illam una suspicio tollit: hanc vero unum somnium* [d] *mutat.*

Rei mille amicis amatæ animum ne applicato:
Si tamen alicui rei applicare velis, soli Deo animum applicato.

Monitum: *Quidquid arcani habueris, amico ne exponas: quid nosti, annon quondam fortasis inimicus evaserit?* Quodvis quoque damnum, quod inimico dare potes, ne dato; fieri enim potest, ut aliquando ex inimico amicus fiat. *Secretum quod volueris occultum, nemini etiamsi fidissimo exponas, nullus enim tuo secreto teipso faventior est.*

Præstat tacere, quam animi secreta
Alicui detegere, atque; *nulli dicito*, monere.
O bone vir, aqua in fontis obstruenda est principio:
Cum vero mole intumuerit, tum flumen obstrui nequit.
Verbum aliquod in occulto dici non decet,
Quod in quovis hominum confluxu dici non licet.

Monitum: *Impotens hostis, qui accepto tuo imperio, amicitiam tibi monstraverit, nihil aliud quærit: nisi ut inimicitiam pertinacius exerceat:* Adagiumque habet: *Non fidendum esse amicitiæ amicorum. Quid itaque de blanda inimicorum*

rum adulatione expectandum erit? Quicunque inimicum parvum existimat invalidum, similis est illi, qui exiguum incendium securius negligit.

Hodie extinguas, dum extinguere potes:
Ignis enim cum in flammam surrexerit, mundum pervastat.
Ne permittas, ut arcum suum tendat
Hostis, dum sagitta illum transfodere possis.

Monitum: *Orationem inter duos inimicos ita instituas, ne, redintegrata forte amicitiâ, tibi pudori sis.*

Inter duos inimicos perinde se habet simultas, ut incendium:
Vilisque auditorum delator, similis est illi, qui ligna incendio apportat.
Inimicus uterque si denuo amicitiam fecerint;
Ille in medio contemtus atque derisus destituitur.
Inter duos enim inimicitiæ ignem excitare;
Seipsumque in medio exurere, mera dementia est.
Sermonem cum amicis habeto submissum;
Ne hostis sanguinolentus arrectis auribus consilium tuum percipiat.
Quæcunque ante parietem dixeris, primum dispicito;
Ne forte pone parietem, auris aliqua attendat.

Monitum: *Quicunque cum amicorum suorum hosti-*

hostibus amicitiam facit, amicos offendere studet.

Tu, ô prudens, manum ab ejusmodi amico eluas;
Qui cum hostibus tuis consortium atque commercium colit.

Monitum: *Quod si in perficiendo aliquo negotio ambiguus suspensusque fueris; tum illam aggreditor partem, qua (minori offensa) negotium facilius perficitur.*

Cum viro placido, sermonisque benigno; jurgia ne exerceto;
Atque cum illo, qui pacis portam pulsat, bellum ne sumito.

Monitum: *Dum auro agitur negotium, caput periculo casibusque objectare non decet.*

Si vero manus tua arte omni destituta fuerit;
Tum quidem manum ferro admovere licet.

Monitum: *Hostis imbecillitati parcere noli: ipse enim, si potens foret; tibi non parceret.*

Hostem si impotentem videris, mystaces torquendo gloriari noli:
In quovis enim osse medulla, atque in quovis indusio vir est.
Quicunque improbum interfecerit, populum fraudibus
Illius liberat, atque ipsum divino supplicio eripit.
Ignoscere laudatum atque virtus est;
Verum vulneri illius, qui mortales vexat, non

non inungendum est balsamum sive unguentum.

An nescit ille, qui serpenti facit misericordiam;

Se mortalibus injuriam facere?

Monitum: *Consilium hostis sequi, crimen est. Verum hostem consulere fas est: ut diversum facias, atque hoc pium est.*

Caveas ab hoc, cum hostis dixerit; hoc facito.

Alioquin pœnitentiæ manum lugens genibus inflixeris.

Quod si hostis tibi, sagittæ instar, viam rectam monstraverit;

Tu inde flectas, sinistræque manus viam ingrediaris.

Monitum: *Furor nimius parit odium; nimiaque & intempestiva benevolentia autoritatem minuit: Tu neque tantam præ te feras severitatem, ut mortales te fastidiant: Neque tanta sis lenitate, ut tibi insultent.*

Severitatem benevolentiamque junctas esse præstat:

Perinde ut Chirurgus, qui venam incidit, unguentoque inungit.

Sapiens sibi nimiam severitatem non sumit;

Neque effeminatam lenitatem, ut autoritatem suam minuat.

Sapiens seipsum non superbe extollit;

Neque è contrario mox seipsum abjectissime gerit.

Juvenis quidam patri suo dixit: ô Sapiens,

Unum

Unum mihi senile consilium dato.
Pater infit: Boni viri officium facito; sed non adeo,
Ut te lupus dentibus acutus superet.

Monitum: *Duo & regni & religionis sunt hostes: Rex sine clementia, Religiosus sine scientia.*

In regni fastigio ne sit Rex, mandataque (aliis) præscribat ille;
Qui Dei maximi mandata ipse non fecerit.

Monitum: *Caveat Rex, ne tantum furori suo in hostem indulgeat, ut illi amici etiam diffidant: quia furoris incendium primum in dominum suum ruit, postea fieri potest, ut ejus scintilla hostem tangat, aut non tangat.*

Non decet mortales humo natos;
Ut animo superbiam, ferociam, atque vanitatem præsumant.
Te propter illam ferociam, (invictamque) animi pertinaciam,
Non humo, sed igni [d] natum arbitror.
In Peilacana * provincia virum quendam pium accessi,
Et dixi: Meam doctrinâ tuâ ignorantiam expurges.
Respondit ille: Vade &, perinde ut humus, patiens esto, ô sapiens;
Aut omnia tibi lecta humo obruito.

Morale: *Pravis moribus corruptus, in hostiis cujusdam manu captivus est: quocunque iverit, diritatem ungularum ipsius effugere nequit.*

Pravis

Pravis moribus imbutus, etsi supplicium fugiturus, ipsum cœlum conscenderit;
Semper tamen in malorum morum supplicio hærebit.

Consilium: *Hostis tui militem si discordem dispersumque videris; bono animo esto. Si vero concordem atque collectum; tibi metuito.*

Amicos adeas, lætusque consideas;
Cum inter hostes tuos certamen videris.
Si vero illos videris concordes;
Arcum tendas, castelloque saxa imponas.

Monitum: *Hostis tentato omnium artium frustra genere, amicitiæ vinculum contrahit: atque tum sub amicitiæ imagine ea agit, quæ hostis efficere non potuit.*

Consilium: *Caput serpentis hostis manu percutito: duorum enim insignium beneficiorum, alterutrum certissimo surget: nam si hic superaverit, serpentem interfeceris: si ille, ab hoste liber eris.*

Belli tempore, à debili hoste securus ne esto:
Leonis enim animum exerit, cum desperaverit.

Consilium: *Nuncium, quem alicujus animum turbare nosti, tu silentio prætereas; aliusque illum ferat, sinas.*

O luscinia, lætum verni temporis nuncium affer:
Tristem vero nuncium noctuæ relinque.

Cautio: *Ne Regi alicujus perfidiam detegas, nisi tum temporis, cum Regem te omnino auditurum certissimus fueris; alioquin tibi ipsi perniciem festinas.*

Apparatum orationis tum facito,
Cum orationem tuam penetrare sciveris.

Morale: *Quicunque sciolo consilium dederit, ipse alterius consilio eget.*

Monitum: *Hostis dolum ne admittas, magnique laudatoris superbam tui prædicationem pretio ne compares; ille enim fraudis laqueum tetendit: hic vero, avaritiæ palatum aperuit. Stolido laudes audire suas pergratum est, atque perinde, ut cadaver, à calce inflatum e pinguedinem mentitur, laudum illecebris intumescere solet.*

Caveas, blateronis laudes audias:
Qui vile laudum suarum præmium à te sperat.
Ni aliquando animum illius expleveris;
Ducenta, ut primum laudes, de te vitia narrat.

Disciplina oratoris. *Nisi quis (oratoris) vitia perstrinxerit, oratio ejus nunquam perfecta erit.*

Insolescere noli dictorum tuorum elegantia,
Approbatione imperiti, atque opinione propriâ.

Sententia: *Unicuique suum perfectum videtur ingenium, atque proprius filius formâ præclarus.*

Quidam Hebræus atque Muhammedanus in controversiæ jurgia ita exarserant,
Ut sermone suo risum mihi moverint.
Muhammedanus ira accensus infit: Quod si hæc traditio mea,

Non

Non fuerit vera; tum tu, Magne Deus, me
Judæum mori facias.
Judæus ait; ego legem sector Mosaicam:
Si falsum dixero; perinde ut tu, Muhammedanus ero.
Si ingenium ex hoc terrarum orbe esset sublatum;
Nemo tamen se ignarum esse autumaret.

Decem homines in una cibum capiunt mensa: Duo vero canes de abominabili cadavere acriter certant. Avarus si totum habuerit mundum, non satiabitur: qui vero paucis est contentus, uno pane satiatur.

Angusta viscera fame stimulata uno implentur pane:
Universi vero orbis opes angustum oculum satiare nequeunt.

Pater meus in vitæ suæ supremis hoc unum mihi dedit consilium & obiit.

Lascivia incendium est, abstineas;
Teipsum ne in atrocissimum Tartari ignem præcipites.
Illius enim incendii æstum sustinere nequis:
Proinde patientiæ aquam huic incendio hodie affundas.

Monitum: *Quicunque rebus florentibus non benefecerit, rebus labentibus miseriam videt.*

Infelicissimus mortalium est ille, qui mortales exagitat:
Tempore enim adverso neminem amicum habet.

Monitum: *Animæ salus unus est halitus. Mundusque ens est, inter duo non entia * medium: Religionem mundanis opibus vendentes, asini sunt: Iosephum vendunt, ut nugas emant.*

Nonne vos monuit Deus, ô mortales, ne Diabolo serviatis?

Hostis hortatu amici fœdus violasti:
Videas itaque, à quo dissociatus sis, & cui te junxeris.

Monitum: *Diabolus contra probos nihil potest; neque Rex contra pauperes.*

Vers: Illi, qui preces non fundit, ne mutuum dederis:
Etsi paupertate etiam os illius apertum fuerit.
Ille enim ne præceptum quidem præstat divinum;
Quanto minus de reddendo tibi debito solicitus erit?
Audivi, quod ex humo Orientali *;
Quadraginta annis fictilia faciunt:
Sed Bagdadi, vel centum, si velis, uno faciunt die:
Proinde tam abjecti sunt pretii.
Pullus postquam ex ovo proruperit, illico quæstum facit;
Infans vero judicii rationisque expers jacet.
Ille, qui subito perfectus esse videbatur, ad nullam tamen justam & constantem perfectionem pertingit,
Hic vero paulatim virtute & præstantiâ superat omnes.

Vitrum

Vitrum reperitur ubique, ideoque pretium non habet.

Lalus g difficulter acquiritur, ideoque magni fit.

Monitum: Negotia quæ paulatim fiunt, citius (&certiùs) ad finem perducuntur.

Hisce meis in deserto oculis vidi:

Virum paulatim incedentem superasse properantem.

Equus velocissimis pedibus cursu deficit;

Camelarius vero paulatim incedendo ad itineris metam pertingit.

Lepidum: *Homini imperito nihil silentio est consultius: quod si sibi consultum intelligeret, imperitus non foret.*

Si nulla tibi fuerit virtus atque doctrina,

hoc præstantissimum erit;

Ut linguam intra dentes contineas.

Hominis ingenium prodit lingua: nucemque cassam levitas.

Asinum quendam stolidus sermocinari docebat:

Semperque cum ipso tempus prodigebat.

Sapiens quidam infit: ô stolide, quorsum niteris?

Hoc tuo (inepto) studio obtrectatoris reprehensionem metue.

Non didicerint sermonem (muta) animalia ex te,

Tu silentium discas ex mutis animalibus.

Quicunque responsum non meditatus fuerit;

Pleraque ipsius verba inania erunt.

Verbum aut dicas perinde ut homo ingenio præditus ;

Aut perinde, ut muta animalia, silens considea.

Morale : *Quicunque cum se Sapientiori controversiam suscipit, eo fine, ut mortales se sapientem esse sciant, illum imperitum esse cognoscunt.*

Si te præstantior orationem orsus fuerit ;

Etsi tu fortassis rem melius noveris ; tamen obniti noli.

Morale : *Quicunque cum pravis considet, bonum non videt.*

Si Angelus consederit cum infernalibus furiis ;

Pravitatem, pertinaciam, fraudemque didicerit.

Ex pravis bonum non didiceris :

Perinde ut lupus pelliceam artem non (exercuerit.)

Morale : *Occulta mortalium crimina ne vulges : illos enim fœdas, tuamque existimationem imminuis.*

Comparatio : *Quicunque sapientiam acquisivit, ejus vero actiones non facit, similis est illi, qui aravit, nec seminavit.*

Exemplum : Corpus sine animo obsequium non præstat, caput sine cerebro negotiationi est ineptum: nux sine nucleo non venditur.

Comparatio : *Non quivis, qui in controversiis est versatus atque exercitatus, bonis quoque operibus est insignis.*

Multa sunt corpora, quæ sub tentorii (umbra)

bra) eminus conspicientibus, apparent bella,

Illud si removeris, rugosæ aniculæ erunt.

Monitum: *Omnes noctes si forent Potentiæ Nox, * Potentiæ Nox nullo in pretio foret.*

Si quivis lapis esset Lalus Bedachschanus. h

Tum pretium Lali atque vilis lapidis idem esset.

Monitum: *Non omnis, qui forma est præclarus, virtutibus etiam perfectus est; virtus enim in animo, non in cuticula relucet.*

Uno die ex viri moribus cognosci potest;
Quousque in scientiis pervenerit.
Sed intimorum sensuum & consiliorum ejus neque securus, neque contemnens esto:
Maligna enim anima per multos annos non cognoscitur.

Dehortatio: *Quicunque cum magnatibus contendit, sanguinem suum effundit.*

Te ipsum quidem vides magnum:
Sed vere dixerunt, luscus unum tanquam duo videt.
Illico frontem tibi videris fractam;
Tu, qui per ludum capite tuo, hædo occursare studes.

Consilium: *Luctari cum leone, pugnumque ferro injicere opus prudentum non est,*

Certamen corporisque robur cum ebrio experiri noli;
Coram robusto manum submittas & ebrio.

Impotens, qui contra potentiorem magnam fortitudinem exercere voluerit, in maturanda sibi pernicie hostis sui adjutor est.

Sub umbra nutritus quomodo poterit,
Ut cum Athletis in arenam descendat?
Debilis lacerto stolide conserit
Manus cum viro, ferreis unguibus prædito.

Quicunque bonum consilium non admittit, reprehensiones audire studet.

Quod si consilium auribus non admittas;
Si postea te perstrinxero, conticescas.

Ignavi virtute præditos oderunt, perinde ut canes (domestici,) in macello culinisque latentes, canem venaticum aspiciunt, magnoque latratu prosequuntur; sed in campum prodire non audent.

Correctio: *Abjectus, qui virtute cùm alio contendere nequit, vilitate quadam vitia ipsius invadere cœptat.*

Omnino vituperat invidus, contemtus, atque abjectus,
Cujus, cum res agitur, loquendumque est, lingua torpescit.

Accusatio: *Ni ventriculi pestis gulæ voracitas foret, avis in laqueum non rueret: imo ne anceps quidem laqueum tenderet.*

Exemplum: *Sapientes comedunt tarde: pii ad mediam satietatem: devoti tantum, ne inediâ extinguantur: juvenes, donec patina auferatur: senes donec sudent: sed Calenderini tantum, ut ne in stomacho quidem respirandi locus relinquatur, neminique in mensa buccella remaneat.*

Cuti-

Cuticulam saginans duas noctes non dormit;

Unam, ex stomachi oppletione & gravitate, alteram, ex animi, de novo victu quærendo, solicitudine.

Consil: *Cum mulierculis consilium captare, stolidum est. Prodigisque liberalem se præbere, nefas.*

Vili si multa præstiteris, eumque evexeris;

Tua potentia (evectus) scelera admittit, te socio.

Monit: *Quicunque inimicum suum coram se habet,*

Nisi illum interfecerit; sibi ipsi inimicus erit.

Si saxum in manu, serpentisque caput super saxo fuerit;

Nihil in festinanda ipsius cæde, vir ingenio præditus cunctabitur.

Misereri tigris dentibus acutissimis præditæ, Ovibus est injuriam facere.

Alii contrarium consultum esse duxerunt dicentes: In interficiendis servis cunctari satius esse: hoc argumento, quia arbitrium semper integrum est, interficias, an absolvas. Sin vero temere (quispiam) peremtus fuerit, fieri potest, ut res aliqua pereat, quæ nullo postea consilio restitui queat.

Perquam facile est, vivum animâ privare:

Interfectum vero vitæ reddere nemo potest.

Judicii lex cunctationem imperat sagittario;

Sagitta enim arcu (semel) emissa,
nunquam redit.

Morale: Sapiens, qui in omnium rerum rudes
incideri;
Nullum honorem sperare debet.

Si homo ignarus loquacitate Sapientem superaverit; ne id mirum videatur: ille enim saxum est, quod gemmam frangit.

Num mirum fuerit, si dulcis lusciniæ cantus
superetur,
A corvo eidem caveæ incluso?
Si artifex à perdito nebulone vexatus fuerit;
Ne ideo animo turbetur, mœroremque contrahat.
Lapis vilissimæ materiæ etsi vas aureum
comminuat;
Ideo lapis pretio non augetur, neque aurum
minuitur.

Morale: Si oratio viri Sapientis in consortio perditorum non audiatur, noli mirari, suavis enim panduræ vox tympani strepitu obtunditur. Odor Ambræ (suavissimus) allii fœtore opprimitur.

Ignarus rabula collum superbe extendit,
Cum Sapientem impudentissime proculcaverit.
An nescis tonum Hoschasium[1] (suavissimum,)
Obrui strepitu tympani acriter percussi?

Gemma etsi in sordes inciderit; (semper ut fuit,) præclara manet: pulvis vero etsi ad cœlum tollatur; abjectus esse, ut fuit, tamen non desinit.

desinit. Præclaras ingenii dotes, justa institutione destitui, miserum est: Instructio vero in hominem ineptum collata, vana est. Cinis etsi forte originem habeat illustrem, ignis enim res est nobilissima; ipse tamen, cum nulla præclarâ virtute polleat, terræ similis est.

*Pretium sacchari non est ex arundine; sed ex seipso, ob præclaras suas virtutes. Muscus id est, quod muscum olet: non quod aromatopola dicit. Sapiens similis est patinæ * aromatopolæ, (omnibus fructibus aromatibusque pulchre instructæ:) tacitus, virtutes suas exerens; pulchraque facinora edens. Insipiens tympano magno murmure strepitanti, intus vacuo; foris pelliculis consuto.*

Sapiens inter ignaros,
Similis est, dixere cordati,
Pulchello in medio cæcorum (posito;)
(Aut) sacro codici in domo Epicureorum.
Cum Canaan natura fuerit iners,
Genitore vate quod sit ortus, id minimè dignitatem illius adauxit.
Virtutem ostende, si tu nobilis es;
Nempe rosa ex spina nata est: Abrahamus Asero ortus.

Monitum: *Amicum, quem toto vitæ tempore acquisiverint, non decet, ut uno momento offendant.*

Lapis per plurimos annos fit Lali frustillum;
Cave igitur, ne uno momento illud lapide frangas.

Morale: Ingenium in manu affectus ita ca-

ptivum detinetur; ut vir uxorius in manu feminæ impotentis.

Lætitiæ fores illi domui occludas;
In qua audiveris feminæ vocem foris resonantem.
Consilium sine potentia fraus est atque dementia:
Potentia sine consilio insipientia & delirium.
Opus enim est primo judicio, prudentia, consilio; deinde opibus:
Opes enim atque potentia insipienti sunt arma, quibus ille seipsum oppugnat.
Liberalis, qui dederit & comederit, præstat religioso,
Qui jejunaverit, & reposuerit.
Quicunque delicias fugit, ut mortalibus gratior esset,
Is concessas delicias fugiendo, in inconcessas ruit.
Religiosus, qui Dei amore in angulo quodam non consederit,
Miser in speculo & tenebris quidnam viderit?
Pauxillum pauxillo junctum, fuerit plurimum.
Granum grano additum, acervus in granario fiet.

Morale: *Sapientem non decet, scurrilitatem & levia facta nescii plebeji, mansuetudine præterire: utrique enim inde damnum nascitur. Sapientis autoritas minuitur; nescii vero inscitia confirmatur.*

Si

Si vilem benignis comibusque verbis tractaveris;

Superbia & pertinacia ipsius invalescunt.

Morale: *Scelera à quocunque patrata fuerint, detestabilia sunt. Si vero à Sapientibus patrentur; etiam detestabiliora: quia scientia telum est, ad debellandum diabolum: atque si virum, telis (bene) armatum, in servitutem abripuerint, majori opprobrio is dignus est.*

Imperitus plebejus, moribus dissolutus,
Præstat Sapienti, ad Catonis normam non viventi:
Quia ille cæcitate viam perdidit;
Hic vero utroque oculo videns in puteum ruit.

Morale: Cujuscunque vivi panem non comederint; mortui illius nomen non celebraverint. Uvæ gustum (paupercula) vidua novit, non ipse dominus fructuum. Josephus justissimus, pax sit super ipso, sicco anno in Ægypto ipse ad satietatem non comedebat, ne esurientium oblivisceretur.

Qui (semper) in rerum omnium affluentia & deliciis vixit,
Ille quid novit; quis sit esurientis status?
Miserorum conditionem ipse noverit,
Qui ipse miser fuerit.
O tu, qui celeri equo veheris, ad animum revoca,
Egeni asinum, spinas portantem, in aqua & cœno hærere.
Ignem ex domo egeni pauperis petere noli:
Quia vapor ille, qui in ædibus * ejus versa-

 tur,

tur; fumus cordis est (& ardentissima suspiria.)

Monitum: Pauperem debilem sterili siccoque anno noli rogare: Quomodo vales? nisi ea lege, ut vulneri ipsius unguentum illinas, ipsique necessaria præstes.

Asinum si videris clitellis oneratum, in luto hærentem, (nec enim juvare possis,)
Animo ipsius miserearis; sed ne ad eum accedas.
Si vero eo procedens eum rogaveris, quomodo ceciderit;
Tum vestitum succingas: ut virum decet, prensaque asini caudâ, eum luto extrahas.

Duo in rerum natura nequeunt fieri, plura comedere, quam benignitas divina concesserit: & mori, antequam destinatum tempus adfuerit.

Fatum non mutatur,[k] etsi mille gemitus & suspiria,
Laudans vel queribundus quis ore effundat.
Angelus præfectus est venti thesauris;
Quid vero moratur si circa lampadem pyrallis moriatur?
O tu, qui opes quæris, conside, ut comedas:
Tu vero, quem fata petunt, fugere noli; quia animam non liberas.
Opes sacro studio sive quæsiveris, sive non quæsiveris;
Largitur eas Deus optimus maximus.

Si

Si vero fueris in ore leonis & tigris;
Non te voraverint, nisi fatalis adsit hora.

Illud, quod (divino munere) non fuerit assignatum, manus non contingit: assignatum vero, ubicunque locorum fuerit, (cuique) pertingit.

Audivistine Alexandrum usque ad Cymerias tenebras ivisse,
Multis molestiis, vitæ aquam tamen non hausisse:

Monitum: Piscator sine fatali felicitate piscem unum non ceperit: neque piscis sine fato vel in ipso sicco morietur.

Miser avarus totum terrarum orbem percurrit,
Ipse (sacro studio) sectatur opes, fatum vero à tergo sectatur ipsum.

Monitum: Dives moribus corruptus, auri est cæspes & manus: pauper vero, pietate præditus, ipsa pulchritudo est luto respersa: hic lacerata Mosis toga, ille vero coronati Pharaonis ulcus est.

Paupertas bonorum animum in lætitia conservat: opulentia malorum caput intra thoracem deprimit.

Notum sit tibi, quicunque dignitatem potentiamque habet,
Et tristes oppressosque animos non visitaverit;
Illi indicato, ipsum nullam potentiam dignitatemque
In (cœlesti) palatio inventurum.

Morale: *Invidus in divinam benevolentiam libera-*

beralitatemque avarus est, innocentique homini hostis.

Homuncionem * sicco cerebro præditum
vidi;
Qui viri dignitate præditi vitia perstringebat.
Dixi homini: Si tu, Domine, mala sorte
vexaris;
Vir ille bonæ sortis quid criminis habet?
Tu itaque invido supplicium ne votis acceleres:
Quia ob sortem illam malam ipse in supplicio vivit.
Quid itaque urget, ut tu illum hostiliter infestes,
Cum ipse (perpetuo) ejusmodi hostem à tergo habeat?

Monitum: *Invitus discipulus, amator est sine auro. Peregrinator sine scientia, avis sine alis. Sapiens sine bonis operibus, arbor sine fructu. Religiosus sine doctrina, domus sine foribus.*

Monitum: Hunc in finem cœlo demissus est Coranus, ut scilicet mortales bonos mores discant; non vero ut ipsi Coranum splendide depingant: Religiosus indoctus, pedes est progrediens. Sapiens otiosus, eques est dormiens. Peccator, qui manum (supplicem) tollit, melior est (Religioso) Numinis cultore, qui caput extollit.

Prætor moribus benignus, ingenioque comis,
Præstat juridico mortales perstringenti.

Moni-

Monitum: *Sapiens sine (bono) opere, apis est sine melle.*

Superbæ ignavæque dicas api:
Mel cum non faciat, pungere quoque desinat.

Monitum: *Vir sine humanitate femina est: Religiosus avarus; prædo.*

Heus tu, qui magno relgionis studio vestem tuam dealbasti,
Ut vulgo pius esse videaris; hoc ipso nomen tuum denigrasti:
Manus brevis & retracta esse debet à mundo;
Ora vestis lata, an angusta sit, nihil refert.

Monitum: Duo hominum genera dolorem ex animo nunquam delent, neque luctus pedem ex luto extrahunt: Mercator, qui navim fregit: & (opimus) hæres, qui cum Calendrinis [1] familiariter vixit.

Monitum: Toga regia etsi sit magnifica; pannosa tamen propria vestis, magnificentior est. Epulæ magnatis quamvis sint suaves; proprii tamen panis frustillum multo suavius est.

Acetum ex manu proprii laboris & Carthamus
Melior est donatitio magnatis pane.

Monitum: Rectæ rationi contrarium est, atque cordatorum consilio adversatur: *Medicamentum sumere anceps: atque iter ignotum sine comitatu ingredi.*

Monit: Muhammedem filium Muhammedis, Gasalensem * Antistitem sacrorum illustrem rogarunt: Hoc scientiarum fastigium qua

qua ratione contigisti? Respondit ille: *Quæ nescivi, me rogare non puduit.*

Valetudinis spes tum temporis homini judicio prædito apparet;
Cum arteriæ pulsum medico, naturæ perito explorandum præbuerit.
Roga, quæ nescis: quia vilitas rogandi,
Dux & via tibi fuerit ad majestatem scientiæ.

Monitum: *Quicquid noveris, tibi certo (per se) notum fore; illud rogare ne festina; quia authoritatis fastigio damnum infertur.*

Cum Locmannus videret in manu Davidis [m]
Ferrum singulari portento liquescere;
Non rogavit illum: Quid facis? quia norat,
Non roganti id notum fore.

Monitum: Unum ex humanæ societatis requisitis hoc est, ut vel propriam domum & familiam cures: vel ad Dei domum sive ptochodochium te conferas.

Historiam pro ingenio & captu auditoris narra;
Si sciveris illum te amore prosequi.
Quicunque ingenio præditus, amoris insaniâ fuerit correptus;
Nil præter historiam vultus (pulcherrimæ) Leilæ loquitur.

Monitum: *Qui consortium habet cum malis, etsi ipsorum ingenium ipsum non corruperit; ipsorum tamen consortio corruptus audiet: perinde ut*

quis

quis tabernas frequentans, non (ibi) preces facere; sed vinum potare dicitur.

Teipsum inscitiæ damnasti;
Qui inscium tuo consortio allegisti.
A viro quodam Sapiente unum petii consilium:
Mihi respondit ille: *Ne rudi te socium jungas:*
Nam si judicio præditus fueris, asinus fies:
Si imperitus sis, stupidior evades.

Monitum: Mansuetudo cameli, ut notum, est tanta, ut si infans quidam habenas ipsius prehendat, & centum * parasangas ducat; collum ipsius obsequium non detrectet. Si vero via adsit ardua, cujus præcipitio mors certissima adsit, eumque infans imprudens eo deducere velit; habenas manui ipsius eripit, nec porro illi obsequitur: Quia tempore severitatem flagitante mansuetudo improbanda est. Vetus dictum est: Hostis benevolentiâ amicus non fit: sed plura expetit præ avaritia.

Quicunque tibi benefecerit; tu illi obnoxius esto.
Si vero obnitatur tibi; tu duos illius oculos humo oppleto.
Verbum benevole atque benigne moribus præfracto ne dicito:
Ferrum enim ærugine exesum non molli lima politur.

Monitum: *Quicunque aliorum sermonem interpellat, ut suam scientiam alii noscant; dubio procul inscitiæ illius magnitudinem cognoverint. Gravium virorum sententia sic habet:*

Vir

Vir ingenio præditus non responderit;
Nisi alii ipsum rogaverint.
Etsi quidem vera & temperata illius fuerit oratio;
Alii tamen, intempestivum ejus loquendi studium, mendaciorum monstrum appellant.

Monitum: Ulcus aliquod intra vestes meas habebam; venerabilis * senex quotidie rogabat: Quomodo vales? Nunquam rogabat: Ubinam est ulcus tuum? Illud modeste subterfugiens, qui sciret; Cujuslibet membri commemorationem non esse honestam. Sapientes enim dixere:

Qui orationem non ponderat, responso offenditur.
Nisi probe sciveris, verbum aptissime esse dictum;
Decet, ne verbum dicturus os aperias.
Nam si verum dixeris, & in vinculis maneas;
Præstat illud, quam si te mendacio vinculis exemeris.

Monitum: Mendacium dicere simile est vulneri inflicto: vulnus etsi quidem coiverit; vestigium tamen relinquit. Perinde ut fratres Josephi, cum jam mendacio essent notabiles, ipsorum veritati nec habita fuit fides. Altissimus enim Deus dixit: sed affectus vestri vos seduxerint.

Cui mos fuerit verum dicere,
Etsi semel peccaverit; connivere fas erit.
Si vero mendacitate aliquis fuerit infamis;

Etsi

Etsi verum dixerit : tu tamen mendacium dixisse censes.

Jucun : *Creaturarum præstantissima, ut palam liquet, homo est; vilissima canis: Sapientum tamen judicio; Canis fas agnoscens homini ingrato præstat.*

Canis acceptæ unius buccellæ memoriam
Non exuit, etsi centies saxis petitum abegeris, (semper tamen redit.)
Si vero semel demulseris hominem vilem;
Levissimæ rei causa contra te bellum sumit.

Jucun : *Quicunque cuticulam curat, ab eo virtus & artificium non est expectandum. Atque ut virtutis expers aliis præsit, indignum est.*

Noli misereri bovis multum edentis;
Multum enim dormit, qui multum comedit.
Si necessaria tibi est bovis pinguedo;
Asini instar corpus aliis vexandum dabis.

Morale : *In Euangelio dicitur : ô hominis fili! Opes & potentiam si tibi largiar; à me declinans omne studium, omnemque curam in opes potentiamque convertis: si te pauperem faciam, mæstus curisque anxius languescis: ubinam igitur mei nominis dulcedinem inveneris? & quandonam cultum meum maturaveris?*

Modo enim opibus præditus, tumidus es atque ingratus;
Modo in fortunæ angustiis mœstus atque afflictus.
Quandoquidem igitur rebus felicibus infelicibusque hic tuus est status;

Nescio

Nescio equidem, quandonam tuâ sponte
Deo sis vacaturus.

Exempl: *Divina illa & incomparabilis voluntas alium regni fastigio movet, alium vero in piscis visceribus incolumem præstat.*

Felicia ille habet tempora, qui tui semper memoriam colit.;

Etsi ipse in piscis detineatur visceribus, perinde ut Jonas.

Si furoris gladium striuxerit Deus, vates, sanctusque (trepidi) caput contrahunt. Si vero benevolentiæ * suæ levissimum signum dederit; improbos probis æquaverit.

Si Deus in extremo judicio ex severitate egerit;

Ne ipsis quidem vatibus veniæ locus erit.

Quicunque in hoc mundo afflictus, pietatis viam ingressus non fuerit; æternis tandem torquebitur cruciatibus. Deus enim altissimus ita ait: Nos ipsis certo delibanda damus leviora illa supplicia, antequam graviora supplicia subeant.

Magnorum virorum prima correptio monitio est, altera vinculum:

Si, dum monent, non obtemperaveris, tandem vincula injiciunt.

Felices ex majorum historiis exemplisque documentum prius sumunt, quam ut posteri sua olim exempla circumferant.

Nequaquam avicula circuiverit granum;
Si aliam avem in laqueo pendentem viderit:

Tu ex aliorum damnis exemplum capito;

Ne

Ne alii ex te exemplum sumant.

Monitum: Ille, cujus voluntatis aurem condiderunt surdam, qui faciat, ut vadat? Ille vero, quem felicitatis cingulo traxerunt, qui faciat, ut non vadat?

Nox nubibus obducta amicis Dei
Fulget perinde ut splendidissimus dies.
Atque hæc felicitas lacertorum robore non contingit;
Nisi munificentissimus ille Deus eam donaverit.
Cuinam, nisi tibi, exponam animi dolores? præter te enim judex est nullus;
Atque tua etiam manu nulla est celsior.
Ille, cui tu te ducem præstiteris, non perit:
Illi vero, quem tu perdideris, dux nemo erit.

Exempl: Mendicus, cujus extrema sunt felicia, præstat regi, cujus extrema sunt infelicia.

Mœstitia, quam ante gaudium habes,
Præstat gaudio, post quod mœstitiam habes.

Morale: Terræ pluviam suppeditat cœlum: cœlum vero à terra pulverem accipit. Quodlibet vas eo, quod continet, turgescit atque redundat.

Si mores mei tibi visi fuerint indigni;
Tu ideo mores tuos bonos amittere noli.

Deus Altissimus (scelera) aspicit, & tegit: vicinus vero nihil videt; & tamen (nihil, nisi alienos nævos) crepat.

Vers:

Nescio equidem, quandonam tuâ sponte
Deo sis vacaturus.

Exempl: *Divina illa & incomparabilis voluntas alium regni fastigio movet, alium vero in piscis visceribus incolumèm præstat.*

Felicia ille habet tempora, qui tui semper
memoriam colit.;
Etsi ipse in piscis detineatur visceribus, perinde ut Jonas.

Si furoris gladium strinxerit Deus, vates, sanctique (trepidi) caput contrahunt. Si vero benevolentiæ * suæ levissimum signum dederit; improbos probis æquaverit.

Si Deus in extremo judicio ex severitate
egerit;
Ne ipsis quidem vatibus veniæ locus erit.

Quicunque in hoc mundo afflictus, pietatis viam ingressus non fuerit; æternis tandem torquebitur cruciatibus. Deus enim altissimus ita ait: Nos ipsis certo delibanda damus leviora illa supplicia, antequam graviora supplicia subeant.

Magnorum virorum prima correptio monitio est, altera vinculum:
Si, dum monent, non obtemperaveris,
tandem vincula injiciunt.

Felices ex majorum historiis exemplisque documentum prius sumunt, quam ut posteri sua olim exempla circumferant.

Nequaquam avicula circuiverit granum;
Si aliam avem in laqueo pendentem viderit:
Tu ex aliorum damnis exemplum capito;

Ne

Ne alii ex te exemplum sumant.

Monitum: Ille, cujus voluntatis aurem condiderunt surdam, qui faciat, ut vadat? Ille vero, quem felicitatis cingulo traxerunt, qui faciat, ut non vadat?

Nox nubibus obducta amicis Dei
Fulget perinde ut splendidissimus dies.
Atque hæc felicitas lacertorum robore non contingit;
Nisi munificentissimus ille Deus eam donaverit.
Cuinam, nisi tibi, exponam animi dolores? præter te enim judex est nullus;
Atque tua etiam manu nulla est celsior.
Ille, cui tu te ducem præstiteris, non perit:
Illi vero, quem tu perdideris, dux nemo erit.

Exempl: Mendicus, cujus extrema sunt felicia, præstat regi, cujus extrema sunt infelicia.

Mœstitia, quam ante gaudium habes,
Præstat gaudio, post quod mœstitiam habes.

Morale: Terræ pluviam suppeditat cœlum: cœlum vero à terra pulverem accipit. Quodlibet vas eo, quod continet, turgescit atque redundat.

Si mores mei tibi visi fuerint indigni;
Tu ideo mores tuos bonos amittere noli.

Deus Altissimus (scelera) aspicit, & tegit: vicinus vero nihil videt; & tamen (nihil, nisi alienos nævos) crepat.

Vers:

Verf: *Bone Deus!, si mortales occultorum conscii essent;*

Nemo suo otio fruens, ab alterius (linguâ &) manu respirare posset.

Aurum ex terræ visceribus, terram fodiendo, provenit: ex manu vero avari, fodiendo animam ipsius, eruitur.

Viles non fruuntur; sed magnâ curâ custodiunt:

Absumendi spes, ajunt, præstat rei absumtæ.

Quodam die vides, ex sententiâ inimici,
Aurum illius relictum, ipsum vero miserum obiisse.

Monitum: *Quicunque minorum non miseretur, exagitationi majorum subjicitur.*

Non quivis lacertus robore pollens,
Fortitudine miserorum manum frangit.

Debilium animum injuriâ, aut damno ne uras:
Quia potentioris injuriæ succumbes.

Monitum: *Sapiens si in medio, discordiarum incendium tumescere viderit, (inde sese) proripit: Si vero pacem viderit; anchoram jacit. Illic enim salus est in littore: hic vero deliciæ sunt in medio.*

Aleam ludenti ter sex jecisse, opus erat: verum enimvero (vix) ter unum cecidit.

Millies pratum gratius fuerit hyppodromo;
Sed equus suas habenas minime regit.

Supplicatio: *Religiosus quidam ardentissimis precibus ita ingemiscebat: O Domine! miserere malorum: bonorum enim jam ipse es misertus, dum eos bonos creasti.*

Moni-

Monitum: Qui omnium primus notam * vesti, atque annulum manui induxit, Schimschidus * fuit. Quem hunc in modum rogarunt: Quare omnem ornatum atque decus sinistræ contulisti, cum dextræ manus dignitas illud sibi jure vindicare videatur? Respondit ille: *Dextræ manui summum decus ipsa dexteritas est.*

Feridunus imperavit phrygionibus Sinensibus,
Ut tentorii sui ambitum his vocibus exornarent:
Malos bene habe, ô vir ingenio pollens:
Boni enim per se magni sunt atque felices.

Morale: Magnatem quendam rogarunt, dicentes: Tantâ virtute cum manus dextra præstet; annulo lævam quorsum exornant? Respondit ille: *An nescis, viros virtute præstantes semper negligi?*

Ille, qui sortem condidit, opesque creavit,
Dat aut virtutem, aut fortunam.

Morale; *Illi datum est Reges monere, qui capitis periculum non vereatur, nec auri studio & spe laboret.*

Ante pedes Deum vere noscentis aurum profuderis;
An Indicum acinacem capiti illius imposueris, (nihil interest:)
Ille nec spem, neque metum ullius habet:
In qua re veræ pietatis fundamentum unicè consistit.

Regis est, iniquos coercere: Lictoris, homicidas plectere. Judicis, litigantium crumeni-

secarum lites dirimere. Neutiquam duo adversarii, juris divini & æquitatis memores, ad judicem adierint.

Si debitum aperte sciveris esse solvendum;
Bona cum gratia itaque exsolvere præstat, quam cum jurgiis & animi commotione.

Censum si quis bono animo non solverit;
Imperiose illi abstulerit (prætor) vel prætoris assecla.

Omnium dentes obtunduntur acore; Judicis verò dulcedine.

Judex qui munus quinque cucumerum acceperit;
In tui gratiam tibi decem peponum solum adjudicaverit.

Decrepita meretrix à stupris quomodo non resipiscat; atque prætor munere suo dejectus, à mortalium vexatione quomodo non desistat?

Juvenis anguli latebras colens, leonis instar, divinis vestigiis insistit.
Decrepitus enim per se angulo suo moveri nequit.
Generoso opus est juvene, qui libidinis abstineat irritamentis!
Senis enim, libidine languescente, ipsum membrum per se non surgit.

Sapientem quendam rogarunt: Inter tot præclaras arbores, quas altissimus Deus creavit proceras & fructiferas, nullam præter Cypressum appellant liberam, quæ nullos tamen fructus edit: illud quodnam naturæ arcanum est?

eſt? Reſpondit ſapiens: Quævis arbor aſſignatos ſibi edit fructus, & præfixo quidem tempore: Quibus ſi modo inſtructa fuerit, recens eſt & juveneſcit: iis rurſus deſtituta langueſcit & moritur. Cui rei obnoxia minime eſt Cupreſſus, quæ tamen ſemper recens vireſcit: quæ vera hominum liberorum facies atque deſcriptio eſt.

Rei fluxæ animum ne applicato; quia Tigris multum temporis etiam
Poſt Imperatores (ſuos defunctos) Babylonem perfluet.
Si potes, Palmæ * inſtar liberalis eſto;
Sin minus, Cupreſſi inſtar liber eſto.

Duo obierunt, atque animi dolorem (ſecum) abſtulerunt. Alter, qui opibus valuit; nec iis frui (per avaritiæ vitium) potuit. Alter, qui ſcientiam habuit; nec eam bonis operibus aſſeruit.

Nemo aſpexerit ſapientem avarum,
Quin grave illius vitium perſtringat.
Sed liberalis etſi ducenta crimina admittat;
Ipſius tamen liberalitas omnia vitia tegit.

LIBRI CONCLUSIO.

AD finem perductus eſt ROSARII Liber, Numine feliciter aſpirante: In hoc opere toto, prout ſcriptorum mos eſt, ex antiquorum Carminibus nihil aliunde depromptum inſertum fuit.

Obſoletam propriam togam reſarcire ſatius

est, quam vestem (novam) aliunde mutuam petere.

Pleraque Sadi dicta suas animum mire oblectantes Veneres habent, admixtisque suavitatibus pollent; illi vero, qui obtusa mentis acie, præcipiti judicio fervent, audaci lingua hanc ipsam ob causam calumnias illi ita intendunt: Ingenii succum inutiliter impendere, (nocturnæque) lucernæ fumum temere devorare prudentum haud est. Verum enimvero cordatos, illustri judicio præditos, ad quos hæc mea Oratio dirigitur, minime latet, uniones morales, bonis consiliis illustres, hoc eloquentiæ filo esse consertos, & amaram Disciplinæ medicinam suavissimi mellis dulcedine temperatam, ne scilicet Lectoris ingenium tædio affectum, oblata bonorum consiliorum majestate frustretur.

Nos bona consilia suo loco dedimus,
Et bonam vitæ partem huic (operi) impendimus:
Si quis ea pronis auribus non admiserit;
Vates officium fecit, * si monuit.
Tu vero, qui librum hunc inspicis, Dei misericordiam ora
Autori, & criminum remissionem exscriptori.
Ora tibi ipsi quoque bona, quæ desideras:
Postremo libri possessori divinam gratiam.

Finitus est liber ope Regis omnium bonorum datoris.

FINIS.

GEORGII GENTII AD ROSARIUM POL: BREVES NOTÆ ILLUSTRANDO AUTORI NECESSARIÆ.

Pag.3. a SPiritus hic aër est, quem naturæ imperio vel inviti in viscera attrahimus, moxque reddimus. Attractus vitam producit; qui, simul ac incaluerit, redditus mire corpus reficit. Quæ duo immensa, in uno halitu sunt beneficia; alterutrum si negetur, homo certo pereat, necesse est.

Pag.3. b *Cortinam honoris servorum ob turpe flagitium non rumpit.*] Occulta scilicet mortalium flagitia, eos ludibrio expositurus, minime retegit Deus.

Pag.4. c *Ignicola*] Persis Cheber, Arabibus Meschusi, à voce Meschus appellatur: Est autem Meschus ipsis Arabibus idem ille, quem Græci Magum vocant: qui illis gentibus vates longe antiquissimus, primus Numinis arcana revelasse dicitur, ignisque cultum Orienti induxit, cujus sacra in Perside, Chaldæa, fuere celeberrima, ignem per quater mille annos continuum foverunt, qui tandem ab Omero, tertio Muhammedis successore, Perside subacta, extinctus fuit: à cujus ignis vehe-

mentia, etiam morbus quidam ardentissimus, Persici ignis nomen sortitus est.

Pag.4. [d] *Stratori Subsolano dixit:*] Subsolanum ventum *stratorem* appellat, quia per Orientem aulæis, plerumque viridibus, ædes suas consternunt, & illum, qui ea sternit, ferrasch stratorem vocant; eodem nomine subsolanum, verno æquinoctio spirantem, quo totum terrarum orbem virescentibus herbis, veluti insigni aliquo aulæo, obducit, vocare autori placuit.

4. [e] *Ut Smaragdinum lectum sterneret,*] Smaragdinus est color viridis, à viridi smaragdi gemma multis virtutibus præstante: Nam si quis medicato potu, aut venenati animalis ictu, corruptus, duorum hordei granorum pulverem hauserit, periculum evadit. Eadem serpentes, scorpiosque fugat: alias multas hujus gemmæ dotes brevitatis studio præterimus.

4. [f] *Nutrici vernæ nubi imperavit.*] Verna nubes nutrici comparatur, quia uti hæc infantes lactis, ita illa pluviæ beneficio nutrire solet.

4. [g] *Ut herbas filias in terræ incunabulis educaret:*] Filiæ vocantur Fossilia, Animalia, & Herbæ. *Incunabula* terra, utpote in cujus gremio omnia recumbunt; Matres sunt quatuor elementa: pater vero suprema cœlorum sidera; ut quæ suo calore matres fovent atque fœcundant; ut tantos & tam varios filios producere possint.

4. [h] *Arbores æquinoctiali habitu, viridi foliorum toga circumquaque amicivit.*] Jam inde à tem-

à tempore Persarum Regis Schelal Eddin, filii Ulpii Arslani in Perside mos obtinet, ut statis æquinoctio verno novi anni auspiciis, Reges proceribus regni, patres familiarum domesticis suis, novas splendidasque togas, quisque pro modo facultatum conferant. Hinc æquinoctialem diem, quo Sol Arietem ingreditur, Neurus, *Novum diem* appellant, unde novi anni auspicia sumunt, qui dies totius anni omnium festorum est celeberrimus, ubi omnes novi anni auspiciis novis vestibus induti, cum ipsa terra, arboribusque, novâ virescentique herbarum & foliorum togâ obductis, novo splendore & incredibili celeberrimi hujus festi lætitia certare, vernare & ridere videntur: æquinoctium autumnale, cum Sol libram ingreditur, Mihirschan appellatur.

Succus arundinis illius potentia saccharum factum est præstantissimum.] Iste locus alia pariter ratione, nec dispari autoris studio & mente, non minori saltem lectoris cum admiratione accipi potest in hunc modum: Vox Nai significat arundinem, & ob formæ similitudinem quoque gulam, quam Arabes Halcum vocant: & Schahdon, inusitatius Schuhdon, proprie mel una cum favis suis ab apibus productum notat: si itaque per Nai arundinem capiamus, tum per Schahdon metaphorice saccharum intelligitur: si vero gulam intelligamus per Nai, tum altera vox propriam significationem tenet, & sensus talis emergit non minus admirabilis; *Succus gulæ* (scilicet apis,) *illius potentia, factum est mel præstantissimum.*

4. Et

Pag.4. [i] *Et figniferi*] (scilicet Muhammedis.) Quia gens illa, quæ Muhammedem sequitur, tergum illius nativo quodam signo notatum fuisse credit: Tradunt quoque scriptores ipsorum, qui res Muhammedis ambitiose extollunt, Buheiram Damascenum monachum, Muhammedem puerum cum patruo suo Abutalibo illuc venientem, hospitio excepisse: & cum omnia futuri vatis signa in illo deprehendisset, atque patruo ipsius, illum Dei vatem esse, indicasset, tandem Muhammedem exorasse, ut sibi retecto scapularum interstitio, nativam & plane prodigiosam notam illam, qua verus vates esse argueretur, ostendere vellet, quam ipse cum aspexisset, plenam illi tanquam vero vati à Deo misso, fidem habuisse dicitur. Alii vero notam illam in fronte ipsius collocant, cum in ea sapientiæ divinæ indicia eluxisse tradunt.

Pag.5. [k] *Assidui templi Majestatis illius cultores.*] Summum Muhammedanæ religionis fanum Meccæ est, in quo plurimi assiduo vanæ superstitionis suæ studio Deum colunt: multi etiam recti & religiosi cultus opinione, & sacerrimi loci amore, totam vitam suis sacris ibidem ultro promptissime impendunt. Loci religionem, & prima templi olim illic constructi fundamenta, ad Patriarcham Abrahamum referunt.

Pag.6. [l] *Cordatorum quidam divina contemplaturus, capite in togam demisso, oraculorum pelago immersus erat.*] Per cordatorum quendam ipse hujus libri autor Sadus intelligendus est, qui

qui ad evitandam ambitionis & gloriæ calumniam, seipsum sub incerti nominis specie, modestiæ ergo sapientibus tamen satis prodidit. Per cordatos intellige viros vitæ probitate, cæteris virtutibus, integra & amica cum mortalibus conversatione insigniores, præsertim vero illos, qui contemtis hujus mundi opibus, pietatis & divinæ contemplationis studio, suæ vitæ, temporisque impendia faciunt, ipse scilicet religiosorum flos, qui per Orientem divina contemplaturus, ut mentis vela alto contemplationis pelago committit, ita capite in togam demerso, genibusque subnixo sedere & meditari divina solet.

Pag.6. Ex horto illo, in quo fuisti, nobis quid grati muneris tulisti?] Hortus ille est amplissimus & fragrantissimus divinæ contemplationis campus, in quo inter varias Majestatis divinæ delicias & flores humanæ mentis oculus ita affici & abripi solet, quemadmodum corpus nostrum terrestribus his hortorum voluptatibus recreatur.

Pag.6. [m] *Mihi quidem consilium erat, rosarum fruticem cum contigero, sinum rosis implebo.*] Rosarum frutex est ipsa divina Majestas, ipsius oracula, & revelationes, quarum fragrantia mens humana satiari atque expleri potest.

Pag.6. [n] *O luscinia verum amorem ex pyrallide discas.*] Hoc tacitum est responsum amico petenti, ut sibi Majestatis divinæ arcana, & revelationis illius usuram revelet, quasi dicat: sed ô luscinia! quæ cognitionis divinæ fastu

ſuperba, poſt mediam etiam noctem magno ſtrepitu & clangore divinas laudes decantas, ejuſquę notitiam pleno ore quaſi ebuccinas, tu minime Deum vere amas, quia voce altâ, id eſt, compoſitis arte verbis, Dei notitiam & amorem jactas, reapſe & factis haudquaquam àpprobas: nam ſi tibi moriendum eſſet amore illius, quem amare tantopere cantas, fugeres: Igitur rejectis verborum & gloriæ lenociniis, verum amorem ex pyrallide diſcas, quæ lucis amore ſine cantu & ſtrepitu ſeipſam in facis flammam præcipitat, ſine murmurę exurit, & mero lucis amore perit.

Pag. 6. o *Oſtentatores iſti in flagrantiſſimo illius deſiderio, ſunt ſine notitia.*] Oſtentatores iſti, qui inanibus ampullationibus divinæ Majeſtatis notitiam & amorem ſibi ambitioſe arrogant, ſerio ineptiunt: qui enim illius notitiæ & amoris uſuram habet; ille ejuſmodi arcanum nemini vulgat.

Pag. 6. p *Conſeſſus eſt finitus, metam tetigit vita.*] In Oriente quando colloquia inſtituuntur, accumbere ſolent: ideoque hic accubitus pro diſſertatione de cognitione Dei, & eſſentia ejus divina ſumitur.

Pag. 7. q *Oraculorum illius calamum ſacchari inſtar mortales in deliciis habent.*] Illius, ſcilicet autoris Sadi, de cujus vita & moribus ſatius eſt tacere, quam pauca dicere: hoc unum obiter dicam, longinquæ & variæ peregrinationis laude virum eſſe notabilem, quadraginta enim annos, doctos viros per orbem quærendo, ipſorum conſortio & variæ doctrinæ ſtudio

dio impendit, præterea quoque vitæ longæ gloria fuisse insignem, quidam centum viginti, alii centum, alii centum duos annos vixisse tradunt: centenarium superasse consentiunt omnes. Obiit anno à fuga Muhammedis sexcentesimo nonagesimo primo.

Pag. 7. [r] *Chartas dictorum illius, perinde ut aureas literas circumferunt.*] *Aureæ literæ* sunt in Perside illæ, quibus aurum acquiritur: nam mos illic obtinet, ut Reges, quibus benefacere volunt, iis literas aureas vel auri, ut dicunt, in provinciam aliquam, urbem, aut pagum largiantur, quibus provinciæ præfecto traditis, ille singulis familiis, officinis, certam pecuniæ summam imperat, quam collectam Regis nomine literarum latori confert; qui mos etiamnum per Persidem viget.

Pag. 7. [f] *Successori Salomonis:*] Autor Regem suum Salomonis successorem vocat, quia Schiras sive Cyropolis, Salomonis quoque regia fuisse, illis gentibus traditur & creditur: & cum Rex Musaffer Eddin Abubekerus eandem regiam post tot secula quoque coleret, successorem Salomonis autori appellare lubuit; Est autem Schiras, urbs Persidos longe jucundissima, vix ulla sit in ea domus, quæ suis hortorum & aquarum deliciis careat, amoenitatibus non alliciat, item amplissima, populo & mercatoribus frequentissima, patria nostri autoris Sadi, & aliorum præstantium ingeniorum genitrix foecundissima, posita coelo & solo clementissimo; longitudine septuaginta trium graduum, triginta quinque minu-

torum; latitudine viginti novem graduum, & triginta ſex minutorum: inde Spahanam, nunc Perſidos regiam, patet iter ſeptuaginta duarum paraſangarum, ipſa eſt, quæ cum Hura Indiæ urbe potiſſimum celebratur, de hac ipſa noſtri autoris patria Perſæ ita canunt:

Quid eſt Cairum? quid Damaſcus? quid terra? quid ipſum mare?
(Id eſt, quicquid præter duas illas urbes terra marique urbium præterea extat,)
Omnes (urbes) pagi ſunt, & ſola Schiras urbs eſt.

Vocatur autem Schiras, ob ſimilitudinem leonini ingenii, quia Schir leonem ſignificat, & uti leo omnia devorat, ſic Schiras omnia, quæ aliunde importantur, abſumit. Quod autor noſter hoc loco invidendas Regi ſuo virtutes adſcribit, multis fabuloſum & vanum eſſe videbitur; Sed notandum eſt, autoris & Orientalium mentem eam non eſſe, ut rem ita prorſus ſeſe habere, & ipſi credant, & aliis perſuaſum velint; verum piæ mentis illud deſiderium & votum eſt; ut Rex, Numine adſpirante, ingenti hac laude ſtimulatus, talibus virtutibus ornatior evadat.

Pag. 7. Vmbræ ſummi Numinis in terra.] Rex vocatur umbra Numinis in terra, hoc ſcilicet nomine, ut miſeri & malorum iniquitate afflicti, ad Regem veluti Numinis umbram refugiant, & latibulum ſuum ab inimicis quærant, perinde uti viatores æſtuante Solis calore feſſi, umbræ refrigerium requirere ſolent.

Rex

Rex umbra Dei est, sub quam refugit, quicunque injuria afficitur.

Pag. 8. [t] *Aliquantum terræ odoriferæ in balneo quodam die pertigit ex manu dilecti in manum meam.*] Per Orientem præsertim Persidem & Turciam certum terræ sive glebæ genus habent, quo terræ visceribus effosso, smegmatis loco in balneis utuntur, imprimis feminæ, quia sordes blandius tollit, & capillos emolliendo splendidiores reddit, quod rosarum accessu odoratum redditur, atque tum magis afficit, adeo ut in Perside viris quoque in usu esse soleat.

Pag. 8. [v] *Tu muscus es, an Ambra.*] De Ambræ origine propter incertam præstantissimi & celeberrimi medicamenti sedem inter naturæ consultos varie disceptatur, & ambitiose quæritur. Aliqui eam à balænis produci ajunt, quia incredibilis ejus vis in balæna quadam reperta quondam fuit; sed si fides hos suos non destitueret autores, tum ubi maxima balænarum vis & copia est, uberrimus quoque Ambræ proventus esse debebat; hinc Ambra in illa ipsa balæna, non quidem ipsius naturæ munus; sed iniqua alienæ virtutis per absorptionem usura, & stulta inventorum credulitas fuerit; qui suam fortunam & casum, naturam esse temere crediderunt. Alii bovem marinum Ambræ autorem esse tradunt, sed eos pari fortunæ casu, & simili simplicitatis studio abreptos fuisse atque deceptos autumo. Alii insulę cujuspiam glebam totam Ambram esse, aliis joco, an serio persuasum iverunt. Alii vero

ipsum mare, prout Corallium & alia multa solet, gignere Ambram opinati fuerunt, quia per maris undas eam in littora subinde ejectam viderunt. Sed vera ejus origo idoneis & gravissimis autoribus hæc est: In extremis Africæ limitibus ad Æthiopiam præalti sunt montes & alpes, qui ab incredibili apum frequentia obsidentur, quæ illic mellificant, istud mel una cum favis suis, ob calidam cœli intemperiem, Sole liquescens, in mare tum defluit, tum pluviis, imbribus, aliisque tempestatibus abreptum, in mare defertur, cui mare aliam formam atque naturam confert, posteaque perfectius in littora ipsius Arabiæ Felicis rursus ejicit. Ex melle esse confirmant illorum locorum accolæ, odor in nonnullis partibus recens ejectis atque inventis, atque, quod maximum est, ipsi etiam quandoque Ambræ inhærentes apum exuviæ.

Pag. 8. *Alioquin ego terra sum tantum, quod sum.*] Hic autor noster Sadus seipsum modestiæ causa terram appellat, sui nominis gloriam non sibi; sed Regi suo Abubekero, ut odorifero consortio attribuit, utpote à cujus fragrantia ipse odorem, à cujus splendore ipse quoque nominis sui claritatem acquisiverit.

Pag. 9. [x] *Discessi propter iniquitatem Turcarum.*] Turcæ proprie non sunt gens illa, quæ hodie Græcorum Imperium tenet, ea enim Turcicæ gentis quædam tantum particula est; neque etiam illa est Turcia, quam nos vulgò nunc ita vocamus, quin ipsa gens per se est

longe

longè maxima, & amplissimam quoque regionem tenet ultra mare Caspium, quam ipsi proprie Turkistan, id est, Turciam, appellant, sub qua & Chatana & Chytæa comprehenditur, nos sine discrimine per locorum istorum imperitiam, totam illam regionem borealem Scythiam nuncupamus, inde proprie gens ista, quæ nunc Græciæ & Asiæ minori dominatur, primam suam originem traxit, quæ postea ad Muhammedana obsequia à gentilismo suo conversa, primo nomine appellari detrectat, malunt enim audire Muslimani & Romani, quia nomen Turc ipsorum lingua valde ignominiosum, *latronem* denotat: quamvis Turcæ hoc nomen suum colore quodam derivatum, & sibi impositum falso velint ab Arabico Taraca, deserere, quasi vero gentilismo deserto ad Muhammedanam sectam accesserint: gens alioquin moribus inculta & fera, atque fœda est, adeo ut ipsum gentis ingenium, ipso quoque nomine vere fuerit expressum: quid enim gravius dici potest, quam si quem latronem appelles. Propter ipsam morum Turcicæ gentis fœditatem, summus quispiam illorum autor hæc de ipsis pronunciavit:

Turca etsi sit doctrina summus,
Tamen eum interficere fas est.

Alioquin in Muhammedanis quoque sacris magnum atque sanctum doctrinæ nomen est, ut qua omnis morum emendetur asperitas: Turcas vero adeo fœdos esse, ut summum doctrina illorum virum interficere liceat, utpote quem Turcam propter innatam ingenii fœditatem,

tatem, doctrina emendare non possit: hinc ipsa Ottomannica familia, quamvis illa ortu Turcica sit, tamen gentem suam ab aulæ suæ ministeriis prorsus removet; adeo ut neminem gente Turcam, tanquam inutilem, in satellitum suorum numerum & in aulæ ministeria adsciscat: quin omnes isti, parentibus Christianis orti, plerumque in Græcia nati, invitis parentibus impuberes eripiuntur, aut gentium jure bello capti, atque Muhammedanis sacris per ætatem adhuc omnium rerum rudes, partim vi, partim honorum spe, & splendoris specie, initiari, atque ad regios usus magna cura & severitate educari solent, atque hi soli sunt, qui regiis ministeriis digni habeantur: ex quibus postea dignissimi quique ad regni ministeria & provinciarum curas promoventur, ineptiores in equestrem ordinem rejiciuntur.

Cum ista Turcarum gens autoris patriam bello infestaret, autor peregrinationem suscepit, alibi sapientiæ lucem ducemque quærens, tandem Bagdadi magnum virum Schehab Eddinum invenit, cujus sapientiæ radiis longe illustrior evasit, prout ipse de se testatur in altero opere suo, quod Pomarium inscribitur.

Pag. 9. X Quia vidi orbem tumultibus implicitum, capillitii Æthiopum instar.] Capillitium Æthiopum ob ferventissimum cœlum ita desiccatur, ut arctissime complicatum, nullo pectine explicari possit, hinc magna cura crescens barbarum lanugo oleo perungenda & explicanda sæpius, ne convolvatur, & capillitia, ne tædio sint, prorsus raduntur.

Pag. 9.

Pag. 9. [z] *Tigresque tigrinos suos mores exuisse.*] Turcæ ab autore lupis & tigribus comparantur ob ferinos suos mores, imo usque adeo gentem illam incultã fuisse, & suo loco etiamnum esse tradunt, ut crudis vescantur carnibus, nec ullum esse poterit dubium, præsertim cum nullis, tum temporis, humanis, neque divinis regerentur legibus; quia Muhammedem postea in Perside demum amplecti & sequi cœpere.

Pag. 9. Intra urbem cives erant, ut Angeli, moribus optimi: Extra vero erat exercitus Turcarum leonum instar ferocium.] scilicet domi & intra urbes aborigines habitabant Persidis incolæ & cives, bonis vitæ moribus excultissimi, adeo ut non homines; sed Angeli esse viderentur. Extra urbes vero, ferox grassabatur hostilis Turcarum exercitus, qui omnia crudelissime depopulabatur, adeo ut ipsi non homines, sed lupi, leones & tigres esse viderentur, feræ humano generi infestissimæ.

Pag. 10. [a] *Saxum habitaculi cordis lacrymarum* [b] *Adamante perforavi.*] Hic autor anteactæ juventutis ignaviam ex animo dolet atque deplorat: *lacrymas*, ob splendorem & incomparabilem durissima ingenia commovendi vim, adamanti comparat: hic enim uti omnes alias etiamsi durissimas forat & frangit gemmas; sic lacrymæ durissimos mitigant animos, qui saxis assimilantur.

Pag. 10. [c] *Discessus tympanum percusserunt:*] tympanum discessus appellatur, immensæ

fæ magnitudinis tympanum, quo per Orientem olim castra moturi, pulsato, discessus inculcabatur militi. Viatores quoque eodem modo comitibus suis itineris tempus adesse indicant. Ottomannica familia nunc tubæ usum quoque habet; hic vero per discessus tympanum, fatalis necessitas atque abitus intelligitur.

Pag. 11. [d] ***Beatus est ille, qui bonitatis palmam reportavit.***] autor proprie pilam reportavit dicit: quia in Perside ludum habent, ubi certum campi spatium certis limitibus circumscribunt, tum pila in medio posita, aliquot equites fustibus clavarum in modum incurvis, instructi, de pila illa extra limites præscriptos promovenda accerrime certant, atque ille, qui eam expulerit, reliquos superans, palmam reportavit, & fortitudinis laudem acquisivit: hic vero bonitatis nomen & palma intelligitur, prout Arabes dicere solent:

Beatus est ille, qui mundum deseruerit, antequam mundus deserat ipsum:
Et qui sepulchrum suum constraverit, antequam illud ingressus fuerit.

Pag. 11. [e] ***Heus tu, qui manu vacua forum adiisti;***
Metuo, ut plenum referas strophiolum.]
Per Orientem forum adeuntes obsonia plerumque strophiolis domum deferunt, hic vero per forum, divinum tribunal intelligitur. Atque serio monentur illi, qui in hac vita nullas bonorum operum impensas faciunt, ut bene secum dispiciant, an in futura vita aliquam felici-

felicitatis usuram sperare possint; quippe autor metuit, ne, ut illi, qui sine ære forum frequentant, sine obsonio inanes domum redeunt; sic hi bonorum operum expertes, illic quondam inopes destituantur & miserrime pereant.

Pag. 12. [f] *Ne caput quidem cultus divini gratia genibus innixum extuli:*] Uti supra retulimus, Orientales pietatis studio divina contemplaturi, capita sua togis immergunt, iisque genibus suis innixis, cœlestia meditari solent, quod commodius fit, cum tapetibus humi stratis semper sedeant.

Pag. 12. *Crastino enim die, cum fati satelles te accesserit,*
Invitus linguam contrahes.

Posuit autor diem crastinum, pro instanti mortis tempore; quia quanto magis vitam producimus, tanto propiores morti sumus. Per *fati satellitem*, Angelum Asraelem intelligunt, ut qui illo, scilicet perimendi homines, munere fungatur, quæ Muhammedanorum sententia est.

Pag. 12. [g] *Sacramenti quoque, si quod dixerit, piaculum facile est.*] Sacramentum Muhammedanis ritibus trium dierum jejunio, aut decem homines cibis explendo, piatur.

Pag. 12. [h] *Vi Ali ensis in vagina lateat reconditus.*] Ensis iste primum Muhammedis fuit, fuit enim unus ex octo gladiis, quos ipse, præter unum patria hæreditate relictum, omnes vel hostium præliis, vel amicorum munificentia acceperat, quos etiam propriis nominibus distin-

distinxerat, hunc itaque Sulficar appellatum, postea Ali dono dedit, quo ipse Ali postmodum maximas inter hostiles copias longe lateque strages edidit, atque si Ali hunc gladium suum non strinxisset, nunquam tantarum victoriarum, tantæque sibi gloriæ autor fuisset.

Pag.13. [i] *Primus erat Ardebehischti mensis Schelaliani dies.*] In Perside à Regum suorum regno æram olim instituere solebant, qui mos usque ad ultimum Persarum Regum Nuschirvani nepotem, Jisdeschirdum nomine, valuit, ipsius enim tempore, qui anno à Muhammedis fuga undecimo regnare cœpit, subacta per Saracenos Perside, Muhammedis æra inducta fuit, quæ quadringentos sexaginta quatuor annos circiter duravit: quia desiit tempore Regis Schelal Eddini, qui Ulpii Arslani filius fuit, ille vero regnare cœpit anno à Muhammedis fuga quadringentesimo septuagesimo quinto, mensis Ramasani die octavo, cum Sol ipso meridie arietem ingrederetur; tum enim sub ipsis novi regni auspiciis, cum aliqui viri sapientes Regi gratularentur, inter quos Omer Chiamus Astronomus erat, præsente Rege de æris sermo forte habitus est: Omer Chiamus infit: Quid necessum est, hanc æram observare, quin priscorum æram secuti, hunc auspicalem novi regni Augustissimi Regis diem æram instituimus: Quæ vox tanquam oraculum ab omnibus pronis auribus atque animis excepta est. Abrogato igitur Jisdeschirdi instituto, primum novi regni diem, vernum æquino-

quinoctium inquam, prima novi anni auspicia pariter atque æram constituerunt; hinc est, quod ipsum verni æquinoctii diem, novo nomine Neurus, quasi tu Novum Diem dicas, sua lingua appellaverint: Atque primum mensium mensem Ferurdinum, pari Naturæ atque mortalium amplexu constituerint; hinc fit, ut illum Verni æquinoctii diem, inter festos toto anno omnium celeberrimos habeant, cujus celebritas ipso regnante quotannis in majus crevit, adeo ut hunc morem Reges ipsius successores secuti ad hunc usque diem observent, atque hæc causa est, quod autor menses illos Schelalianos appellet, ac si nos eos Gregorianos, aut Julianos vocemus. Est autem Ardebehischt mensis anni ab æquinoctio verno secundus, nostro Aprili magna ex parte respondens.

Pag. 14. [k] ***Plejadumque nodulos sive tintinnabula ex arborum fastigiis suspensa.***] Suraja significat Plejades, & cum fructus pari densitate ex arboribus penderent, autor illos Plejadibus comparavit.

Pag. 15. ***Unum atque alterum caput per istos aliquot dies præter spem in chartam conjecta fuerunt.***] Caput scilicet unum de conversandi decoro & elegantia. Alterum vero de colloquendi modestia & civilitate: primum est caput septimum; alterum octavum.

Pag. 16. [l] ***Perinde ut domus picturarum Sinensis.***] In Indiæ limitibus magna quædam urbs Sina appellatur, quæ domum continet amplissimam, ubi insigniores regni illius pictores,

præ-

præclara ingenii sui monumenta, omnis generis admirandas imagines, tanquam artis suæ exempla posteritati imitanda, posuerunt.

Pag. 16. m *Effigierumque liber Ersengi*] Erseng est liber effigierum nobilissimus, quem Manus pictor divinus omnis generis imaginibus implevit, hunc egregii pictores, ut certissimum artis suæ ducem sequi solent.

Pag. 18. n *Vultus enim formosus non indiget ornatrice, aut purpurisso.*] Vox Meschate significat feminam, quæ puellas & sponsas exornat, vultus purpurisso & aliis fucis pingit, capillos pendulos egregie pectit, nam à pectere vox ipsa deducitur: quia Muschton pectinem notat: Persæ istiusmodi feminam Sen Piraje, mulierem ornatricem appellant.

Pag. 18. o *Quod sapientes Indorum magnæ Busurschumhuri virtuti objecerunt.*] Busurschumhur composita vox est, conflatur ea ex Busurc magnus, & Muhur amor, ac si tu magnum delicium dixeris: nam sapientissimus Rex Nuschirvanus, hoc nomen suo proregi, ob raras ingenii dotes, quas ipse amabat plurimum, proprium imposuit.

Pag. 19. p *Levisque pretii merces Principi tulero:*] Hæc verba desumpta sunt ex ipso Corano, quia fratres Josepho Ægyptiorum Principi munera ferentes, in Corano ita locuti fuisse inducuntur; Sed venimus tenuibus cum munusculis. Besaaton proprie pecuniæ sortem, hic vero merces & munera notat: Mischaton rem vilem & levis pretii.

Pag.

Pag. 19. [q] *Altissimaque turris Elvendi radici adstructa humilis cernitur.*] Mons Elvendus in Provincia Hemedana est positus, cum vero in sua patria sit summus, incolis, altiorem nunquam comtemplatis, montium longe omnium altissimus celebratur: alioquin in Asia & Europa montes extant, quorum respectu ipse vix collis aut verrucæ nomen habere possit. Posita est Hemedana longitudine septuaginta quinque graduum, octo minutorum; latitudine triginta sex graduum & triginta duorum minutorum. Hemedana Spahanam usque est iter octoginta parasangarum.

Pag. 20. [r] *Formosus quoque sum, sed non in Cananæa*,] Cananæa est Josephi patria, qui corporis pulchritudine reliquos mortales superasse traditur: Autoris vero mens hæc est: Quamvis ego variæ doctrinæ nomine, & longi temporis usu sim spectabilis, in conspectu tamen proregis, ubi sapientissimorum virorum confluxus est, & ipse humanæ prudentiæ apex cernitur, vix postremus sapientiæ discipulus habear.

CAPUT I.

Pag. 24. [a] A*rcui æstivarii Regis Feriduni, ita inscriptum fuit.*] Feridunus fuit priscis temporibus Rex quidam celeberrimus, plurimorum in hoc terrarum orbe regnorum Dominus, statura corporis præcelsa, ac plane gigantea, hic est ille, qui mortales in classes & ordines primus divisit, ille est, qui asinum ad

equam

equam ineundam primus admisit, unde mulus primum procreatus est. Hic est ille, qui trucidavit Regem quendam, Sahacum nomine, quod patrem suum Atabinum jugulasset, satiandis duobus serpentibus, quos natura in humeris illius produxerat, qui non alio cibo, quam humano cerebro satiari poterant, hinc quotidie binos homines pascendis his monstris jugulare mos erat, inter quos Ferudini pater quoque mactatus fuit. Ego autem minime veros istos serpentes fuisse existimo, quod tamen multis etiam doctis viris persuasum fuisse video; sed teterrima ulcera fuisse autumo, quorum maligna edacitas nisi mitigata fuisset impositis extrinsecus humani cerebri malagmatis, reliquam corporis carnem depastura protinus fuisset. Sahacus iste post diluvium anno millesimo vixisse traditur. de quo plura in Thesauro Regum.

Pag. 24. [b] *Quidam ex Regibus Chorasanæ Regem Machmudem filium Sebuchtegini, post excessum illius annis centum hoc modo in somnis vidit.*] Mahmud est Rex celeberrimus, cujus mentio fit, in eo libro, qui *Thesaurus Regum* inscribitur.

Pag. 25. [c] Nuschirvanus Rex Persidis, omnium Regum post hominum memoriam longe æquissimus & benignissimus fuit, cujus rerum gestarum & beneficentiæ egregia monumenta supersunt plurima, regnavit annos quadraginta octo, atque anno regni illius quadragesimo natus est Meccæ Muhammedes, adeo ut Muhammedes licet gentilium omnium

mnium acerrimus hostis, & perparcus benignioris judicii de ipsorum virtutibus, de ipso ita tamen pronunciaverit: Ego natus sum tempore Regis æqui: Obiit Nuschirvanus anno à Muhammede nato octavo.

Pag.27. [d] *Nemo mortalium sub noctuæ patrocinium concesserit:*

Etsi aquila in orbe terrarum non exstiterit.]

Illud aquilæ genus Persæ Huma appellant, est vero singularis quædam & optimi ominis avis, quæ in aëre degere dicitur, & in eo ova, pullosque suos excludere. Hæc illi virtus tribuitur, ut ille, quem volans umbra sua contigerit, aut ad regium, aut ad summæ opulentiæ fastigium evehatur: quemadmodum noctua è contrario omnia sinistra, & præcipites rerum humanarum casus portendere solet.

Pag.30. [e] *Canis dormitorum in spelunca, aliquot dies*

Bonorum vestigia secutus, homo evasit.]

Celeberrima est septem Speluncariorum historia, per Orientem, in Latina atque Græca Ecclesia, hi enim persecutionem & tyrannidem Decii Imperatoris propter religionem Christianam fugientes, speluncam quandam religionis suæ refugium habuere, fugientes secutus est quispiam pastoris canis, qui una cum ipsis in ipsa spelunca obdormivit, dormivisse vero traduntur secundum nonnullos perpetuos trecentos decem annos, postea vero longo hoc somno denuo soluti inter mortales versati sunt: Latina & Græca Ecclesia horum memoriæ quotannis festum diem Julii

mensis vigesimum celebrant: Muhammedes in suo Corano eorundem quoque historiam peculiari capite conscriptam habet, Christiani & Muhammedani ex hac historia magnum resurrectionis argumentum eliciunt. Muhammedani suæ superstitioni indulgentes, huic cani quoque, altum stertenti, uti & balænæ Jonæ, & aliis nonnullis animalibus, ratione carentibus, Paradisum & æternam beatitudinem adscribunt.

Pag. 32. [f] *Prætoris cujusdam in Vglumischi aula vidi filium.*] Uglumischus Rex quispiam fuit, à magno Principe Change genus ducens.

Pag. 34. [g] *Quodam die in consortio Regis in Thesauro Regum historia illa legebatur:*] Per *Thesaurum Regium* hic intelligitur præclarum opus, carmine à divino Poëta Ferduso conscriptum, quo ipse licet rusticus, nullis artibus atque disciplinis imbutus, incredibili tamen naturalis judicii atque ingenii felicitate, res gestas priscorum Regum argutissimis versibus ingeniosissime est executus; unde Orientis Regibus variæ fortunæ, atque omnis prudentiæ exempla peti solent.

Pag. 36. *Paradisi virginibus Purgatorium est Infernus:*
Contra Infernales roga; utrum illis Purgatorium non sit Paradisus.

Purgatorium Arabibus Araf appellatur, à voce Arafa, quæ scire significat, quia scilicet illi, qui sunt in Purgatorio, ut medio inter utrosque

que loco positi, cognoscent eos, qui in Paradiso & in Inferno sunt.

Pag. 36. [h] *Hormusum gestandæ coronæ autorem rogarunt:*] Hormusus iste fuit æquissimi Regis Nuschirvani filius, qui regnavit per annos duodecim; hic primus coronam gemmis fulgentem capite gestavit.

Pag. 37. [i] *Discessus tympanum fati manus pulsavit.*] De hujus tympani magnitudine & usu, uti & fati satellite, Asraele scilicet, superius dictum est.

Pag. 38. [k] *Integrum annum in templo Damasceno ad caput sepulchri vatis Iohannis:*] sepulchrum illud est Damasci in famosissimo illo templo, quod Christianis templum divi Johannis hodieque appellatur, Arabibus vero Schami bene Ummiæ dicitur.

Pa. 39. [l] *Religiosus quidam Bagdadi inclarescere cæpit, precibus votisque mire potens apud Deũ, ab Hoschaso Iosepho vocatus, itaque compellatus fuit.*] Hoschasus Josephus, id est, Josephi filius, Rex Muhammedanorum fuit, uti Nuschirvanus æquitatis exemplum, sic ille portentosum iniquitatis monstrum fuit; ille templum Meccanum destruxit & instauravit, quæ nunc extat Fani fabrica, ipsius opus est: Muhammedanorum sexcenta millia trucidasse dicitur, vel octodecim millia in carcere ipsius jussu perempta fuisse traduntur, quibus captis pro alimento lotium & stercus asininum propinabat: regnavit annos quatuor & unum mensem.

Pag. 41. [m] *An nescit ille, sacræ ædis ærarium* buc-

buccellam esse pauperibus, non vero epulas diaboli sodalibus.] De sacro illo Muhammedanorum ærario, & ejus administratione hoc loco paulo prolixior est historia, ideoque meliori occasioni eam consulto reservamus.

Pag. 44. [n] *Aquila ideo omnium avium censetur præstantissima, quoniam vescitur ossibus, cæteraque animantia non dilaniat.*] Hoc idem illud aquilæ genus est, cujus supra litera [d] mentionem fecimus, in aëre degit, ova, & pullos in eodem excludit, nullis latrociniis dedita, ossibus solis vescitur; quæ humi jacentia seipsam demittens, rostro correpta in sublime subducit, quia ipsa pedibus carens, terram non calcat, nec colit. fide autorum.

Pag. 44. [o] *Atram Auriculam rogarunt*:] Atra Auricula Persis Siah Gusch appellata, est animalculum leonis assecla, quod mira sagacitate leoni, velut domino suo, prædas suas investigare & prodere solet, unde & postea prædæ reliquias, laboris scilicet sui mercedem, à leone accipit, impense vero cavet, ne propius eum accedat, metuens ne & ipsam dilaniet.

Pag. 50. [p] *Si vero manum ejus potentiæ felicitatisque culmen viderint amplexam,*
Laudantes manus pectori imponunt.]

In Oriente modestiæ index est manuum pectori impositio, hinc cum inferiores superiores salutant, vel iisdem ad interrogata respondent, vel ministri suis dominis ministrant, ambabus manibus pectori impositis, idipsum facere solent.

Pag. 52.

Pag. 52. q *Cum templum Meccanum mortalium preces audiat, ideo ex remotis provinciis Illud visum adeunt per multa milliaria.*] Muhammedani tradunt, preces ante nigrum, quod in templo Meccano est, saxum; item inter saxum illud ejusque templi fores; ad ipsas quoque fores; in loco, ubi Angelus Gabriel olim apparuit: in loco illo, ubi Abrahamus quondam stetit; denique ad fontem Ismaëlis rite effusas, à Deo audiri: hinc religione sacerrimi istius loci, & spe precum suarum illico audiendarum, eo mortales ex remotissimis orbis partibus quotannis undique frequentes confluunt.

Pag. 54. r *Carunus interfectus est, quia quadraginta habuit domos ære plenas.*] Carunus Mosis patruelis fuit, ejusque affinis, sororis conjugio devinctus. Narrant Arabum monumenta, imperatum à Deo Mosi fuisse, ut legem aureis literis describeret: ille, cum se nullum aurum habere prætenderet, à Deo Chymica scientia instructus fuit. Carunus autem valde egenus, numerosa familia oneratus, cum Deum religiose noctu coleret, & jejuniis seipsum interdiu maceraret, misertus ejus egestatis ex animo Moses fuit, eumque Chymica illa scientia imbuit, ut familiam commodius aleret, & Deum religiosius coleret, Carunus Chymicæ artis beneficio immensam divitiarum vim confecit, adeo ut autor quadraginta domos ære plenas eum habuisse tradat. Hinc opum fiducia Dei cultum deserere, Mosemque superbe contemnere cœpit.

Deus postea Mosi imperavit, ut à Caruno opum quinquagesimas exigeret, computatis igitur opibus, cum quinquagesimæ in immensum excrescerent, Carunus eas, tanquam iniquum petenti, his verbis præfracte negavit. Crastino die convocabo urbis populum, caussamque hanc coram eo disceptabimus; si tu me conviceris, eas dabo; sin minus, liber ero. Erat autem inter Israëlitas quædam pulchritudinis quidem inusitatæ, sed pudicitiæ vulgatæ femina; quam Carunus accersitam ita compellat: cras populus convocandus est, si tu Mosem stupri palam postulaveris, teque gravidam ex eo esse asserueris, magnum à me obsequii tui præmium feres: illa conditionem, turpissimi quæstus spe, lubens accipit. Sequenti die Carunus populum convocat, Mosemque invitat; Populus vero vatem suum ita affatur: O Moses tu orationem nobis habeas, & bona vitæ præcepta doceas: Moses cum inter alia & hæc moneret: *Quicunque stuprum commiserit, illum lapidibus obruam.* Carunus assurgens ait: Quodsi ipse struprum commiseris, quodnam tuum supplicium erit? Moses infit, si reus sum, idem supplicium feram. Instat Carunus: Nonne huic feminæ stuprum intulisti? Nonne illa asserit, ex te gravidam se esse? Illa digito monstrata tandem surgit; sed Numinis reverentia & conscientiæ turpitudine trepida atque victa, non quidem falsum crimen, sed rem ipsam hoc modo liberrime fassa fuit: Moses innocens equidem est, Carunus autem sceleris, cujus eum arguit, ingens mihi præ-

præmium promisit, meque insidiose instruxit, ut Mosem stupri postularem. Ego vero Deum verita, illius vati falsa crimina affingere non possum. Moses his insidiis commotus, abiit, & Deum ardentibus precibus supplex oravit, qui illi, quæ fieri vellet, integrum fecit; terram ipsam ipsius obsequi imperio ad devorandum Carunum. Hinc Moses consilii certus, ad Carunum reversus, eum aureo solio suo insidentem, & pretiosissimis pulvinaribus innixum vidit: sed Moses terra baculo suo primum pulsata, mox eo protento, solium ipsius monstravit; quod statim terra haustum fuit: Carunus vero repente exiliit, Moses tamen imperat, ut terra Carunum quoque devoraret, adeoque ille genuum tenus humi demersus, miser precibus supplex Mosem orat; sed Moses minime respiciens, eum terræ devorandum imperat, qui una cum tota familia & domo misere absorptus fuit. Tradunt Arabum monumenta, Deum Mosem oraculo monuisse; O Moses, quater tuam imploravit Carunus supplex misericordiam, & tamen illi propitius non fuisti; profecto si meam semel supplex expetivisset clementiam, ipsi equidem propitius fuissem. Tum dixere filii Israelis, Moses perdidit diris suis Carunum, ut ipse divitiis illius potiretur; Moses his accensus sermonibus, ipsas opes quoque diris execratus & detestatus fuit, adeo ut omnia terræ voragine hausta perierint.

Pag. 58. [f] *Quidam mancipiorum Omeri filii Leisi, fuga elapsus, ab insectantium manu correptus,*

ptus denuoque reductus fuit.] Fuit Omerus Leisi filius Munammedanorum Rex, moribus commodis atque facetus: de quo alibi plura.

Pag. 59. [t] *Cum funditore si prælium commiseris;*

Proprium caput recordia vulneras.]

Imperitum scilicet cum probatissimo & peritissimo funditore prælium committere, amentiam arguit; atque eum non tam hostis prudentia, quam propria socordia debellat; adeoque in omni hominum genere, autor noster arti atque virtuti nominis locique fastigium tribuendum, inertiæ vero humilitatem adsignandam esse censet.

Pag. 59. [u] *Rex Susorum:*] Susa Persis Seusen, Chorasanæ provinciæ urbs amplissima, inter Huram & Nisaburam posita, multorum virorum in omni doctrinæ genere ortu clara & nobilis, longitudine octoginta octo graduum, triginta minutorum; latitudine triginta quinque graduum, viginti minutorum.

Pag. 62. [x] *Tu aut serpens es, quemcunque enim videris, pungis:*

Aut noctua, ubicunque enim consederis, omnia vertis.]

Noctua Hebræis etiam Janschof, id est, noctua sive tenebrio appellatur à Neschef, quæ vox tenebras & noctem denotat; ita denominata, quod lucem & diem fugiens, nocturno tempore volare & gemere soleat. Est vero communi Orientalium tessera avis inauspicatissima, quæ suo occursu quoque mortalium res & consi-

consilia turbet, consessu ruinam, cædes, incendia, & alia fatalia præsagiat: Græcis quoque & Latinis dirum ostentum & feralis habita. Cum Pyrrhus Epirotarum Rex equo insidens Argos peteret, & hastam erectam ferret, noctuam obviam hastæ illius insedisse, & ingloriam atque ignobilem plane mortem, qua ipse occubuit, ferali præsagio suo ostendisse narrat Ælianus, lib. x. cap. xxxvii.

Pag. 63. *y Cosrois coronæ inscriptum fuit.*] Cosroes est filius Siausii, Siausius pater in Turciam profectus, matrimonium cum Ferasiabi Turcarum Principis filia contraxit, cumque nominis illius fama inclaresceret, socer ipsius Ferasiabus generum suum metuere cœpit, ne forte aliquando regnum sibi eriperet, quem ideo primum in vincula conjectum, postea clam interfici jussit; Tum Ferasiabi filia ex eo gravida, Siausium Cosroen peperit, quem avo celatum, alibi clam educandum dedit. Qui cum optime educatus, animo & corpore maturuisset, clam inde iter suscipiens, ut sanguinarium avi materni animum effugeret, Babylona profectus est; atque cum eodem tempore mortuus esset Ciausius, ille regnum ejus occupavit, cui Persis postea sese subjecit; regno igitur firmato, magno exercitu avum maternum Ferasiabum petiit, quem post multa prœlia & clades, quod patrem suum occidisset, interfecit, indeque ex Turcia infinitum Turcarum numerum in servitutem abduxit; tum Belcham petiit, ubi regni fundamenta jecit, populum in classes suas distinxit; postquam re-

gnasset sexaginta annos, obiit, cui Cheresabus Ceicebadi filius in regno successit.

Pag. 64. z *Iuvenis perinde ac gravis vino Elephas, singulari quodam fastu & robore superbus incessit, ut ferreum montem loco proruturus videretur.*] Elephantorum potus aqua est; sed cum eos ad bella & certamina adhibere consilium est, tum inebriantibus vires ipsorum corroborare, atque animos accendere solent, ut facilius ad rabiem & furorem concitati, crudelius in hostes suos sæviant.

Pag. 66. a *Quidam Purpuratorum Suelnunum Ægyptium adiit, ipsiusque vota & bona omina expetiit.*] Duo sunt viri, qui hoc cognomento in hoc terrarum orbe notabiles fuerunt, alter est vates sanctissimus Jonas, à pisce deglutitus, & post triduum in litora denuo incolumis ejectus. Alter est Suelnun Ægyptius quispiam, gentibus illis sanctus habitus, qui nomine Lubanus, cognomine Abufeis; ob res gestas vero Suelnunus appellatus fuit; quia aliquando navi quadam iter fecit, & cum plures alii vectores eadem navi veherentur, quispiam illorum pretiosam quandam gemmam forte fortuna amisit; & cum omnes, qui aderant, noti essent, solus Lubanus tanquam ignotus & externus, furti suspicionem incurrit; & quamvis ille furtum verbis primum, mox sacramenti religione detestaretur, ejusque suspicionem à se removere conaretur, fidem tamen externus invenit nullam: hinc miser furti suspicione turbatus, precibus supplex apud Deum tantum effecit, ut piscis quidam

ex

ex mari prodigiose emergens, gemmam illam integram retulerit, atque hanc ob causam Suesnun, id est, piscis Dominus, appellatus fuit: quia Su, dominum, atque Nun piscem notat. Haud temere uterque hoc nomine exornatus fuit, cum singulari quodam fato, alterius vitæ, alterius vero famæ, nocere piscis non potuerit. Illi sacra, huic profana historia fidem facit.

Pag. 68.[bc] *Impostor quidam crines suos, perinde ut sacra Alis progenies, revinctos habebat, se sacrum mentiens.*] Inter Muhammedanos sacrosancta est Alis progenies, ut quæ vatem Muhammedem per femininum sexum contingat, nam cum ipse Muhammedes nullum masculum reliquerit, & Ali filiam ipsius Phatmam, uxorem habuerit, ex eaque duos masculos Husinum & Hasanum susceperit, hæc quasi vera stirps, etsi per feminam tantum vatem contingat, authoritate ipsius vatis esse censetur: hinc omnibus Muhammedanis tam feminæ, quam masculi, inde originem trahentes, sacrosancti haberi & æstimari solent. Cum vero privilegiis reliquo hominum generi plurimum præferantur, hinc fit, ut multi ignaviæ & ambitionis ergo, stirpem illam mentiri soleant; ut ea ratione inter mortales majori in veneratione, & quadam authoritatis licentia vivere possint. Agnoscuntur habitu à cæteris hominibus insignes, plerumque capita viridibus fasciis revincta habent.

Pag. 68. [d] *Ego hominem istum in victimarum festo Basræ vidi, quonam modo Meccana venera-*

tione insignis erit.] Basra urbs est amœnissima ad Tigridis fere ostia posita, omnibus ad vitæ sustentationem necessariis abundans, longitudine septuaginta quatuor graduum, latitudine unius & triginta.

Pag. 68. [e] *Alius quidam ait: pater ipsius Melatiæ Christianus fuit, quomodo itaque sacræ stirpis decora acquisiverit.*] Melatia est Asiæ minoris urbs, ultra Ancyram posita fertilium arborum copia, frugibus & fructibus, præsertim vero multis juglandibus & avellanis fœcundissima, rivulus undarum liquore memorabilis, urbis mœnia præterfluit, qui adjacentes hortos longe frequentissimos aquis suis irrigat atque fœcundat, hyberno tempore acerrimo frigore infestatur, sedes Ottomannicæ quondam familiæ, priusquam, ignota adhuc & ignobilis, grande illud Asiæ imperium molitetur; sita est longitudine graduum unius & sexaginta, latitudine triginta novem graduum, octo minutorum.

Pag. 68. [f] *Carmenque ipsius in libro Divan Envari reperitur; quomodo iste illius autor erit?*] Divan proprie Tribunal significat, in quo controversiarum sententiæ, & reorum judicia ferri solent; atque hinc Orientales suos libros, præsertim carmine scriptos Divan appellant, cum in iis de variis Poëtæ sententiam suam libere proferre consueverint. Vel quia juxta tribunalia & fora publice omnis generis merces, oculorum oblectamenta venerunt; adeo ut liber iste sit quasi omnis & variæ eruditionis officina, & memorabilium penus quispiam, quibus

quibus eruditorum animi suavissime oblectari & refici possint. *Envari* seculi sui doctissimus Poëta fuit, qui opus suum Divan appellatum carmine erudito conscripsit, quo ipso æternam nominis sui memoriam consecutus est.

Pag. 69. [g] *Vt amicorum animum tibi devincias;*

Vel patris hortum divendito.]

Autor proprie dicit, ut amicorum animum tibi devincias, patris hortum divendere præstat: sed ille loquendi mos, & Persicæ linguæ genius est, quem sensum nos eo sermone, quo debuit, Latine expressimus.

Pag. 69. [h] *Quidam filiorum Haruni Reschidis, patrem suum accessit:*] Harun Reschides cognomento Abu Schefer appellatus, fuit unus ex Muhammedanorum Imperatoribus, vir corpore procero, & crasso, colore candido, animo liberalis, benignus, fortis, multis gravissimis prœliis victor; ille est, qui Imperatorum Muhammedanorum primus atque ultimus Meccam peregrinantium religione & moribus, solito tempore invisit, sepultus jacet in maxima & florentissima Chorasanæ urbe Neucana: quæ posita est longitudine octoginta duorum graduum, unius & quadraginta minutorum: latitudine triginta trium graduum & octo minutorum, fuit Chalifarum Abasidarum sextus Chalifa, regnare cœpit anno à Muhammedis fuga centesimo septuagesimo.

Pag. 72. *Sapientum nonnulli in Cosrois aula de quodam disserebant negotio.*] Arabes Kasra & Kisra pronunciant, Persæ vero Kisra di-

cunt, est cognomentum Regum Persicorum, quemadmodum suos Romani Cæsares, quam vocem ita Arabes Keisar scribunt, Abessini Bechasch, Ægyptii Pharaones, Turcæ Chakan, atque Sinenses Fagfur appellant, ita Persæ suos Reges Kisra, id est, Cosroes vocitant, est vero vox Kisra corrupta à Persica voce Chosrëu.

Pag. 73. [i] *Æthiops vultu equidem adeo erat deformis, ut ipsa etiam Sachra ad aspectum ipsius horresceret.*] Sachra est una ex furiis infernalibus, quæ tam prodigiosa deformitate esse traditur, uti cæteris quoque furiis ideo sit terribilis; illa est, quæ Regi Salomoni annulum surripuit.

Pag. 73. [k] *Ipsiusque axillæ perinde ut infernalis picis fons fœtebant.*] Quia Æthiopum corpora, ob flagrantissimum cœli æstum, sudori & putredini quam maxime sunt obnoxia, adeo ut singularis munditiès ipsis conservandis requiratur; cui plurimum serviunt frequentissimus balneorum atque tonsorum usus, quorum beneficio superflui pili, præsertim sub axillis, & alibi raduntur, sudores fœtidi eluuntur, corporumque valetudini consultum itur; quod nisi diligentissime observetur, pilosæ corporis partes, præsertim axillæ, fœtorem putri & rancido sudore teterrimum plane exhalent.

Pag. 74. [l] *Hypocrita fame stimulatus si solus fuerit domi, quæ omnium deliciarum sit plena;*

Ratio

Ratio minime admittit, ipsum jejunii religione à comedendo retentum iri.]

Hypocrita in Persico textu vox Arabica Mulhid habetur, quæ hominem impium notat, qui licentioso vitæ genere exultans, mortuorum resurrectionem, & futuram vitam æternam negat:

Pag. 75. Historia: *Alexandrum Magnum rogarunt: Orientem & Occidentem quomodo tu cepisti, cum prisci Reges ærariis, regnis, ætate, exercituque te longe superiores, eos subigere non potuerint?*] Alexander Magnus curru, te Scender, cognomento Rumi, id est, Græcus, vel Sulcarnein, id est, bicornis appellatur: Mire disceptatur inter Orientales, quam ob causam ita vocetur, verior autem sententia hæc est, ipsum dominum orbis fuisse suo ævo potentissimum, & cum orbis ipsis propter Orientem & Occidentem duobus cornibus fuerit assimilatus, hinc ipse dominus duorum cornuum, id est, Orientis & Occidentis cognominatus fuerit, adeo ut illud cognomini Magni valde respondeat. Regnum autem cornu comparari in sacra pagina sæpe occurrit, propter singulare robur, quo regna pollent, idque fit, quia animalia potissimam suam vim in cornibus habent, quibus salutem suam ab hostibus fortiter defendere, eosque perdere possint. In sacris literis, apud Danielem capite octavo, unum ingens cornu Alexandro Magno tribuitur, quod postea frangitur, quo ipso ipsius adhuc juvenis immatura mors, atque præceps vasti imperii ruina denunciatur, cujus

loco

loco alia quatuor cornua subnata dicuntur, quibus regni illius in quatuor principatus divisio prædicta fuit.

CAPUT II.

Pag.76. Historia: *Quendam Meccæ vidi religiosum, qui capite in limine templi Meccani posito, ingemiscens dicebat:*] Notandum est limen templi Meccani venerationis causa ad humanæ staturæ modum sublime attolli.

Pag.77.[a] Historia: *Abd Elkadir Gilanensis in templi Meccani vestibulo, vultu minutis lapidibus imposito, ita dicebat:*] Gilan provinciæ nomen est, sunt autem ejus nominis provinciæ quatuor, celebriores sunt Gilan Reschut, & Lachschan, ejus provinciæ incolæ vescuntur pane ex oryza, quæ magna ibi seritur copia, abundant quoque piscibus: sita est longitudine septuaginta quatuor, quinque & sex graduum; latitudine triginta quinque & sex graduum.

Pag.78. [b] *Amor Cordatorum in absentia & præsentia semper est idem.*] quid per cordatos intelligat autor, superius pagina 272 & 273 patet.

Pag.79. * *Bonis operibus certa, & quicquid lubuerit, gesta;*
Nihil interest, capiti coronam imponas, an pauper mendicitatis notam humero assuas.]
In Arabia moris est, & in Perside, ut mendici notâ humeris suis assutâ omnibus egestatem suam publice profiteantur.

Pag.80.

Pag. 80. [c] *Ecce religiosum illum! qui religiosi pallium gestabat, Sacrum templi Meccani velamen asino tegmen fecerat.*] Muhammedani locum istum, quem sacrum opinantur, quotannis novo & sumptuoso velamine operiunt, quod velamen, anno elapso, alio denuo novo inducto, aufertur: illud vero sacrum & venerabile omnibus habetur, quia sacerrimi loci Majestas, si Diis placet, illud contactu suo sacrasset: ideoque illud profanis usibus adhibere grande est nefas. Cum vero Ottomannica familia, post expugnatam Ægyptum, templi Meccani curam sustineat, quæ ad Ægypti regnum proprie spectat, illa quotannis novum velamen Constantinopoli, terrestri per Damascum itinere, magna cum ostentatione & pompa Meccam mittit, cui sese ingens peregrinantium turba comitem adjungere solet, quæ Meccam & Medinam religionis causa invisit.

Pag. 81. [d] *Vereor equidem, ô erro, ut ad Meccanum templum pertingas,*
Hæc enim via, qua tu insistis, in Turciam ducit.]
Proprie textus habet vocem Arabicam Aarab, quæ gentem incertis sedibus per campestria & deserta vagabundam denotat; hic itaque vagum & vanum viatorem intellige, qui verbis quidem & religionis specie Meccam; sed re Turciam petit.

Pag. 83. Historia: *Quidam piorum montis Libani, cujus celebre per Arabiam nomen, & miracula famosissima erant, templum Damasce-*

mascenum, (preces fusurus) ingressus, in ora cisternæ calcariæ, cum manus pedesque ablueret, pede forte labascente in cisternam illapsus, ægerrime evasit.] Templum illud Damascenum, jam Schami bene Ummiæ appellatur, quondam Christiana pietate per Arabiam vigente, à Christianis extructum, iisque diu proprium fuit, donec tempore Muhaviæ Muhammedanorum Principis, partem templi illius mediam, Orientem spectantem, Christianis vi eripuerint, Fanum suo Muhammedi sacrandam. Temporum vero lapsu Velidus Abdelmeleci filius Christianis alia templa construenda concedens, reliquam augustissimi templi partem, quæ Christianis olim superfuerat, quoque ademit, adeoque totum illud templum, quod Christianum fuit, Muhammedanum fecit. Adornando vero huic Fano proxime illius murum calcem accumularunt, quem locum Kellasa, id est, Calcarium à Kils Calce ibidem copiosissima appellarunt. Postea Nureddinus Mahmud Sengi filius eodem calcario loco, anno à Muhammedis fuga quingentesimo quinquagesimo quinto, Gymnasium condidit, quod etiamnum Kellasa, id est, calcarium appellatur, quingentesimo septuagesimo anno, idipsum incendio conflagravit, quod postea Saladinus Syriæ Rex denuo instauravit, sed ejus Musæa adeo angusta struxit, ut non nisi singula singulos capiant. In media Gymnasii area est cisterna illa calcaria, sesqui hominis staturam profunda, ubi Muhammedani ritibus suis indulgentes, antequam preces

ces fundant, manus pedesque religiosissime abluunt; atque inde per Gymnasii ostiolum in ipsum Fanum ingressus patet.

Pag. 83. [e] *Aliud vero tempus, quod cum Hafasa & Sineba transigebat.*] Hafasa Muhammedis uxor, filia Omeri fuit, qui, post Abubekerum, Muhammedi in imperio successit, quam biennio ante fugam ipse sibi matrimonio junxit, junctam postea repudiavit, Oraculo vero monitus repudiatæ conjugium repetiit, quæ præmortuo Muhammede, imperante Osmanno, Medinæ obiit, ætatis suæ anno sexagesimo sexto.

Pag. 83. [f] *Sineba,*] Notandum est Muhammedem, contra Mosaicæ Legis & Euangelii normam, imo contra sua ipsius instituta, plures uxores habuisse, quam aliis ipse in Corano suo concessit: ex Corani enim præscripto, quem divinum librum esse jactat, aliis non plures, quam quatuor uxores concedit; ipse vero exlex unam & viginti habuit, ex quarum numero, sex repudiatis, quinque defunctis, illi superfuere decem, novem domi suæ aluit, decimam vero domum nondum duxerat: atque inter novem illas, quarum singulæ suas cum vate concubitus noctes habebant, Sudam repudiare constituerat; illa vero, supplex Muhammedi facta, infit: Ego ut viri minime appetens, noctem meam Aischæ dedi, peto ut non repudiata in resurrectionis die inter mulieres tuas suscitер, precibus his admissis, Muhammedes novenas vices subire debebat, Aischæ, Hafasæ, Em Selemæ, Em Habibæ, Sefiæ,

fiæ, Sinebæ filiæ Hafcheli, Meimunæ & Schujeriæ, quarum fingulæ fingulas noctes, Aifcha vero Abubekeri filia duas noctes, alteram fuam, alteram Sudæ munere habuit; hic vero Sineba Hafimæ filia intelligitur, quam anno à fuga tertio duxit, quæ poftquam trimeftre in conjugio exegiffet, anno quarto obiit.

Pag. 84. g *Quidam rogavit illum, qui filium amiferat:*

O clara ftirpe oriunde fenex fapientiſſime,
Ex Ægypto odorem indufii illius fubodoratus es,
Quomodo in puteo Cananæo illum non vidifti?]

Hic intelligitur patriarcha Jacobus, ftirpe fua vere clariſſimus, qui filium fuum Jofephum amiferat. *In puteo Cananæo:* Cananæa fuit habitatio ipfius Jacobi atque puteus ille duabus parafangis à Cananæa vix diftabat, hodie circa eum Muhammedanorum Fanum cernitur, cum adftructo quoque pago, quod Damafco iter facientibus Hierofolyma occurrit:

Pag. 84. h Hiftoria: *In templo Baalbeccano pro concione verba faciebam.*] Baalbecca Syriæ urbs fuit antiqua, muris cincta, arcem habuit munitiſſimam & ampliſſimam, arboribus, fluviis, fontibus felix, & omnibus rebus abundantiſſima, domos ex marmore habuit conftructas, adeo ut per totum Syriæ regnum nulla fuerit urbs, cujus ædificia hifce æquari poffent, diftat Damafco milliaribus octodecim, longitudine fexaginta graduum, quadraginta quinque

que minutorum, latitudine triginta trium & quinquaginta minutorum.

Nunc vero vicus est valde jucundus, sesquidiei iter Damasco distans, nullus in toto Syriæ regno locus est, qui fœcundissimi soli beneficio, atque aquarum copia, suos cives atque advenas viliori pretio liberalius alere possit: Templum illud, de quo autor loquitur, à Chalido filio conditum, in ipso vici meditullio positum est.

Pag. 85. [i] *Obrepente itaque tædio captus ingemui, quod asinos meliora frustra docerem, speculumque cæcorum foro exponerem.*] In India & Perside mos est, ut pauperes honestius mendicaturi, speculum circumferant, quod obviis submisse exhibent, qui eo inspecto, quasi aspectæ suæ humanitatis & pulchritudinis præmium, stipem, exhibitori largiuntur.

Pag. 4. [k] *Dulce quidem est sub Mugilana arbore in deserti itinere decumbere,*
Itineris nocte; sed vita discrimini exponenda erit.]

Mugilana, Persici magnitudine, spinosa est arbor, quæ in itinere Meccano ejusque deserto crescit, spinas habet longas & nigras, qua sola viatores, per deserta aliis lignis destituti, ignem alunt: sub ista arbore, tanquam unico umbræ præsidio, viatores, itineris æstusque tædio fessi, decumbere solent; sed cum Arabes latrociniis sueti, deserta & vias sæpissime infestent, nemini soli, sine vitæ discrimine decumbere, & somnum capere licet.

Pag. 88.

Pag. 88. [l] *Tuæ rei quid confert pauperum penula, laceræ vestes, palliumque pannosum?*
Quin improbis actionibus abstineto:
Haud opus est, ut mitram gestes ex pelle ovilla;
Animo virtuteque religiosus esto, mitramque regiam gestato.]

Notum esto, in Perside Schirvanenses, Carabagenses, & Asirbanschkanenses, imo plerosque Persas mitram ex pelle ovilla gestare; sed cum religiosi omnes eam in illis locis ubique gestent, autor eam tanquam propriam iis assignavit. Pro *mitra regia*, textus proprie Tataricam habet, quia Tatarorum Principes & magnates, ex pretiosissimis pellibus mitras suas conficiunt; sed per *Tatarorum mitram* Muhammedanam intelligas, necesse est; alioquin si Muhammedanus pileum, aut mitram Christianam, vel Christiani hominis, citra necessitatem gestaverit, aut cingulo ejus accingatur, lege sua religionis Christianæ reus, capitis damnatur. Tanta enim in Christianos per Muhammedanam legem est iniquitas, ut vix ulla per summam injuriam major esse possit.

Pag. 88. [m] Historia: *Pedes quidam capite pedibusque intectis, cum (Meccam religionis causâ peregrinantium) comitatu ex urbe Cusa prodiit.*]

Cusa urbs ad unum Euphratis cornu posita, quondam nobilissima & florentissima, omnibus vitæ necessariis non tantum; sed etiam deliciis affluentissima, summi templi & plurimorum mausolæorum splendore instructissima, magnitudine mediam Bagdadi partem æquians,

quans, populo quoque frequentissima, unde etiam, à populi inquam frequentia, nomen habere creditur, quia Arabes de arena dicunt: Kuf Erremeli &c. quando alia alii accumulatur. Nunc temporis vero omnia disjecta sunt atque eversa, adeo ut quatuor summi templi parietum, & aliorum ædificiorum hodie nulla supersint vestigia, quia Bechseccana gens omnia ipsius templi & mausolæorum fundamenta ex terræ visceribus quoque eruit, ut sibi domos construerent, adeo ut ne fundamentorum quidem ulla supersint vestigia, & merito excidii exemplum haberi possit; cum tamen nostri autoris tempore, inde frequentissimus comitatus Meccam peteret, uti nunc Damasco & Cairo fieri solet, distabat quatuor dierum itinere Bagdado, posita longitudine sexaginta novem graduum, viginti sex minutorum: latitudine triginta unius, & triginta minutorum: hic sepultus jacet Ali Abutalibi filius, quartus Muhammedis successor, ad cujus sepulchrum Muhammedani undique frequentissimi confluunt, propter summam viri, quam inter suos obtinuit gloriam, tum propter incredibilem eruditionem, tum propter fortitudinem incomparabilem, quibus ea gessit, quæ alii præstare non potuere: primus ille ad Muhammedana sacra accessit, impuber, ipso Muhammede hortante, quatuor annos novem menses & aliquot dies regnavit, quem Cufæ, cum populum die Veneris mane de turri templi ad sacra obeunda, rite advocasset, Abderrahman Meschemi filius percussit,

ex

ex quo vulnere ipse proximo die Dominico sub noctem obiit, ætatis suæ anno sexagesimo tertio, secundum nonnullos sexagesimo quinto. Hic est ille, cui, quo loco eum jam sacrorum ipsius consortem habiturus esset, roganti Muhammedes respondit: Nonne tibi satis sit, si apud me illo sis loco, quo apud Mosem Aron fuit: Ali fuit Muhammedis patruelis atque gener; quia Fathmam filiam illius in matrimonio habuit: occubuit anno à fuga Muhammedis quadragesimo.

Pag.89.[n] *Quando Mahmudis Palmam contigimus, dives ille (præter omnem spem & opinionem) fato concessit; religiosus morientis pulvinari forte adsistens ait:*] Locus hic trium dierum iter distat Cufa; Subeida femina ibi Fanum, hospitium egregium, atque cisternas construxit; Meccæ peregrinatores ibidem per triduum morati, itineris tædia loci amœnissimi illecebris solantur.

Pag.91.[o] Historia: *Quamvis me infinitum venerandus ille senex Schemes Eddin Abu Elseretsch filius Schusi hortatus sit ut rejectis Musicæ illecebris, vitæ solitariæ instituta amplecterer, & in abdito viverem.*] Schems Eddin vir omni eruditionis genere summus, autoris nostri præceptor fuit.

Pag.92. [p] *Sacer præco intempestive exclamavit,*

Nescius quantum noctis elapsum esset.]

Quia Muhammedani, pertinacissimo Christianorum odio, campanarum usum abhorrent, & viva præconum voce, Muhammedis exem-

exemplum secuti, suos ad preces & sacra peragenda, quinquies ex summis turriculis, quas fanis adstruxere, quotidie convocant. *Nescius quantum noctis elapsum esset.* Quia æstivo tempore ante Solis etiam ortum, hiberno vero circiter tertiam noctis horam, omnes ad preces obeundas conclamant; adeoque per somnolentiam clepsammidio intempestive verso, nullo diei aut Solis vestigio, à præconibus facile errari potest.

Pag.93. * *Factum istud tuum à prudentum foro alienum est, quod scilicet augustum illud seniorum pallium, ejusmodi Musico dedisti, qui per totum vitæ tempus, ne assem quidem in manu sua habuerit, neque teruncium tympano suo exceperit.*] Def proprie significat tympanum, quod uno latere tantum pelle obductum, altero vero vacuum est: nec malleolis; sed summis manuum digitis leviter pulsatur: neque horrido strepitu, ut tympana militaria, omnia implet, quippe vix alias usum præstat, nisi voce simul etiam accinentibus. Altero illo latere concavo atque inani, cantu finito, ab auditoribus præmium suæ artis excipere solent.

Pag. 93. ¶ *Talis erat Musicus; Deus illum*
ab hac beata aula procul dimoveat,
Nemo illum bis in uno loco lubens viderit;
Profecto quando vox ejus ex ore prodibat,
Mortalibus pili in corpore horrescebant;
Ipsa avis æstivario imposita, vocem illius inconditam horrens avolabat.]

Moris olim Persarum fuit, ut æstivariis suis tornatiles aves, ventorum indices, imponerent;

rent; alii psittacos, colore virides, cæruleos, vel candidos, alii columbos, turtures, pavones, atque aquilas: avium vero corpora intus cava, oribus ipsarum tubuli sive fistulæ immissæ erant, quibus, quotiescunque ventus stationem mutaret, aves versato corpore varios sonos ederent.

Pag. 94. [r] *Suavis vox ex palato, ore, labioque dulci profecta,*
Sive Musica arte temperetur, sive non, animum demulcet,
Si vero cantica, seu soni Vschack, Safahan, atque Haschas,
Ex absurda cantatoris gula profluxerint; ingrata erunt.]

Hi tres sunt Musici toni, sive cantica certis tonis constituta, in Persarum regno ad lætitiam inventa à Musicis, & propter dulcedinem suam mire celebrata.

Pag. 98. [s] *Tandem ita ad familiam Iachiæ filii filiorum Helalis perventi sumus.*] Nechil bene Helal, in Arabia loci nomen est, cui familia, quæ eum coluit, de nomine suo nomen dedit; distat tredecim dierum iter Cufa, atque illinc Medinam quatridui iter est.

Pag. 98. [t] *Nostine, quid mihi dixerit matutina illa luscinia?*
Tu cujus generis homo es, quod amoris es expers?
Camelus Arabis carmine, gaudio, lætitiaque oberrat;
Tu si gaudio carueris, perversæ naturæ bestia eris.]

Familiare est in Arabia camelariis, ut camelos

los itinere fessos, pulsis ad carmina citharis ad itineris celeritatem magis excitent, quia camelis hoc natura ingenitum est, ut fidium vocisque dulcedine capti, veluti amentes, iter suum longe alacrius prosequantur. Hoc enim divinum Musica munus obtinet, ut non tantum homines; sed jumenta quoque illecebris suis exhilaret, & ad ferenda sua tædia inflammet. Proinde etiam sapientum Arabum sententia est, ut cum Rege defuncto, infantulo relicto, regnum ab interrege in spem filii sit administrandum, infantuli ingenium vocis suavissimæ cantu diligentissime explorent, nam si vocis dulcedine captus eam affectare, & lætus auscultare videatur, id certum boni ingenii indicium habent: sin minus, delirum & mentis impotem fore præsagiunt.

Gravissimus quidam scriptor tradit, se quondam per Arabiæ deserta peregrinantem, in quandam Arabum familiam incidisse, atque apud virum quendam ejusdem familiæ diversatum fuisse, cujus universi cameli recenti clade extincti essent, seque à servulo nigro compellatum hoc modo: Tu hac nocte nobis hospes, dominoque meo longe gratissimus eris; si tu apud dominum meum intercesseris pro culpa mea, tuæ deprecationi procul dubio dominus meus locum dabit. Cum nos mensæ accumberemus, ego ad dominum hoc pacto orationem meam instituo: Non prius cibum cepero, quam huic servulo culpam suam ignoveris: Tum infit dominus: sceleratissimus servus iste, omnes opes meas perdidit, meque ad

incitas plane redegit. Quid fecerit, mihi roganti respondet: mira vocis suavitate pollet, atque camelis meis minister additus, eos oneratos vocis suæ dulcedine adeo excitavit, ut tridui iter veluti amentes, uno die confecerint, posteaque oneribus depositis deficientes exspiraverint omnes: sed in tui hospitis tamen gratiam illi culpam remisi.

Pag. 98. [v] *Camelus cum sit amore captus, lætitiaque subsultet,*
Quod si homo ejus expers fuerit, penitus asinus erit.]

Celebris asini ob extremam ignaviam atque stuporem fama est, hinc autor hominem amoris expertem, asinum vocat, scilicet, qui tot manifestis per orbem terrarum indiciis in creaturis ubique extantibus, ad Dei cognitionem & amorem non accendatur, præsertim vero Musices dulcedine non excitetur, illum non hominem; sed asinum, ignavissimam atque stupidissimam belluam esse.

Pag. 100. *Pauperis patientiam divitis liberalitati præstare;*
Si Bihramus unum onagrum assaverit, pauperibusque totum distribuerit,
Non unum quidem locustæ pedem, quem formica tulit, æquaverit.]

In historiis geminus hujus nominis Bihramus occurrit, alter Bihramus Schubin, qui vir fortitudinis gloria clarissimus: alter Bihramus Cour, Rex Persarum audacissimus fuit: Cour enim onagrum notat, quem cum Rex frequentissime venaretur, à fera illa cognomen tulit;

quippe

quippe aliis nullis feris, præterquam onagris insidiabatur: adeo ut quodam die onagrum in speluncam fugientem persecutus fuerit, quid illi ibidem porro evenerit, incertum est; cum vero Rex, quo evasisset, ignoraretur, mater ipsius armigerum atque vestiarium, regiæ cædis suspectos, tormentorum cruciatui subjectos peremit, uti faterentur, quid de filio suo factum esset: illum vero in spelunca illa à fera oppressum atque dilaniatum esse, communis omnium sententia est; hinc celeberrimus Poëta Chiamus de ipso ita canit:

En Bihramum, qui onagros semper captabat;
Ut ab onagro tandem captus est!

Pag. 100. * *Non locustæ pedem, quem formica tulit, æquaverit.*]

Hic non muneris dati pretium, quod pertenue est, sed dantis animus æstimatur, qui rebus angustissimis tantus apparuit, ut ipsi potentissimo Regi in liberalitatis certamine longe præferatur: convenit res cum illa historia Euangelica, qua paupersculæ viduæ donum apud Deum divitum liberalitati præponitur.

Pag. 101. y Abu Hureira quotidie invisere per officium solebat Mustapham.]

Abu Hureira, id est, feliculæ pater, alias paganismi tempore Abd Elschems, id est, Solis servus, aut Abd Omer, appellatus, postquam Muhammedem sequi cœpit, novo nomine Abd Errahman, id est, servus Dei à Muhammede vocatus fuit; est unus ex familia-

rissimis Muhammedis amicis, cujuspiam feliculæ multo amantissimus, adeo ut in publico etiam incedens, feliculam suam vestibus tectam circumferret; à Muhammede itaque aliquando in publico conspectus, & quid gestaret, rogatus, feliculam meam gesto, respondit: hinc Muhammedes infit: Tu equidem ob incredibilem, quo eam prosequeris, amorem; Abu Hureira, id est, feliculæ pater appellari mereris, quo postea cognomine lætus lubensque magis, quam proprio nomine, inclaruit. Fit eorum septem, qui traditiones Muhammedis posteritatis memoriæ prodiderunt, longe princeps: ille enim post Muhammedis obitum, incomparabili memoriæ felicitate pollens, multa ex vate, ob frequens cum ipso consortium, audita prodidit, quæ aliorum memoriam fugissent: Ille reliquis sex Traditionariis palmam præripiens, solus quinquies mille trecentas quadraginta traditiones ex Muhammede auditas, felicique memoria retentas, postea propagavit, donec tandem literarum monumentis consignata in lucem prodierint: Obiit Medinæ anno à Muhammedis fuga quinquagesimo septimo, natus annos septuaginta octo, Bekiæ, quæ prope Medinam est, sepultus jacet.

Pag. 101. * Per *Mustapham*] hic ipse Muhammedes intelligitur, qui & Abu Kasim, & Achmed, atque aliis nominibus appellatur.

Pag. 101.* * Ex consortio amici Damasceni natus mihi est animi dolor, & perturbatio; proinde Hierosolymitana petens deserta, cum feris societa-

rietatem contraxi; donec tandem in Francorum vincula incidens in Tripolitana fossa cum Hebræis humum aggerere coactus fui.] Omnes Europææ gentes stricto vestitu per Orientem Franci vocantur, reliquæ laxiori per Europam habitu singulæ vel suis, vel barbaricis nominibus discernuntur; suis Mosci, Russi, Walachi, Bulgari & Servii: Barbaricis vero; Græci Rum, Poloni à Rege suo Lecho Lech, Hungari Maschar, Moldavi Bugdan, Albani Arnaut appellantur. Francorum per Orientem indicium est, præter strictum vestitum, galerus & cæsaries: reliquarum vero præter laxum habitum mitra & rasum capillitium. Inclaruit Francorum nomen per Orientem suscepta anno millesimo undecentesimo à Francica gente ad recuperandam Terram Sanctam expeditione, autore Petro Eremita Picardo, annuente Pontifice Maximo Urbano, qui sacri hujus belli classicum fortiter cecinit, ad quod utriusque sexus ex Germania, Gallia, Italia, Hispania, atque Britannia ad sexcenta peditum, centena equitum millia confluxere, qui duce & áuspice Godefrido Lotharingio & aliis, Asiam petentes, capta Nicæâ, porro Palæstinam, ejusque caput Hierosolyma expugnarunt: quam, constituto primo Hierosolymorum Rege Godefrido, octoginta octo annos sub octo Regibus tenuerunt. Eodem illo victoriarum impetu Antiochiam, Edessam, atque Tripolim ceperunt; illa & ista principatus, hæc vero comitatus nomen obtinuit: atque autor noster duodecimo illo seculo atro-

cissima Turcarum bella in Perside patria sua fugiens, hîc Damasci amici cujusdam consortio turbatus, ut anachoreta per Palæstinæ solitudines oberrans, in Christianorum manus & vincula incidit, quem fatalis quædam felicitas servatum, procul dubio, quia gente Persa atque præterea inermis esset, Tripolim abduxit, ubi permuniendæ urbi, una cum Judæis, egesta terra in vinculis & compedibus, fossam ducere cogebatur, donec tandem quidam primorum Haleppensium, qui cum illi familiaritas intercesserat, illac transiens, Sadum agnitum decem aureis ex Francorum vinculis liberavit; secumque Haleppum abduxit, & filiæ suæ, quam habebat unicam, matrimonio junxit; quæ cum prava & procax esset, illi pauperiem suam hunc in modum exprobrat, inquiens:

Pag. 103. [z] *Nonne tu ille es, quem pater meus decem aureis Francorum vinculis exemit? Respondi ego: Imo decem aureis me servitute liberavit; centum vero aureis me tibi mancipium vendidit.*] Quia in dotem sponsus ipsi sponsæ pro virginitate polliceri debet certam pecuniæ summam, quam uxori, si eam postea repudiare velit, præstare tenetur. Autor noster uxori suæ centum aureorum dote adstrictus erat; adeoque dicit, cum pauper nullam præstandæ dotis viam videret, se in servitutem illi à patre suo datum esse. Repudiare quidem eam per legem licebat; sed dos afferenda primum erat, quam ille, omnium rerum egenus, habebat nullam.

Pag. 107.

Pag. 107. * *Digitus formosæ, atque ima auricula aspicientis animum capiens,*
Sine inauribus, annuloque ex erano pulchra sunt.]

Eranus gemmæ genus est, colore cæruleo, quod Persæ & Arabes Firuse & Piruse appellant, vulgo Turcois.

Pag. 109. * *Benevolus quidam amicus senecionem consulens inquit: Quid agendum mihi, mortalium crebro accessu quam maxime fesso; pretiosissima quippe mihi accessu suo turbant, eripiuntque tempora? Respondit senecio, Pauperibus, qui te accesserint, mutuum dato: à ditioribus vero aliquid petito.*] Hæc historia casu, non consilio comprobata fuisse à scriptoribus traditur, per Caisum Sadi cujuspiam filium, cui, cum ille gravissime ægrotaret, atque nemo mortalium eum inviseret, ejus rei causam roganti, responsum hoc modo fuit: Pudet illos non quidem turpis facti; sed suæ egestatis, eoque te invisere verentur: quia omnes in ære tuo sunt; neque, quod reddant, habent. Ad quam vocem respondit ille: Apage malas illas divitias, quæ nobis mortalibus bonæ tantummodo mentis impedimenta sunt, atque amicos etiam & fratres inimicos faciunt: cognita igitur vera hujus pudoris causa, statim edixit: omnium nomina; quæ in suo ære essent, liberali munificentia remissa esse: tradunt ipsum plus, quam ducenta aureorum millia debitoribus suis condonasse, atque egregio illo liberalitatis exemplo pristinam amicitiam instaurasse.

Pag. 112. * Apologus: *Hanc audias historiam, Bagdadi*
Inter vexillum & tapetum natum est jurgium.]
Bagdadum urbs longe amplissima & nobilissima ad Tigrim flumen condita, Chalifis quondam Abasidis regia fuit; qui aulam in ea habuere longe amplissimam, cujus murus à fluminis ripa surgens in Occidentem recederet, atque inde in Orientem dimidiatæ lunæ in modum reflexus, in eadem fluminis ripa rursus desineret, ut spectantibus semicirculi speciem præberet: aula hæc tertiam Bagdadi urbis partem magnitudine æquabat; septem portis, magnæ alicujus urbis instar, & omnibus deliciis instructissima fuit; per quarum mediam Reges, Principes & legati ad Chalifas admitterentur: mediam urbem Tigris flumen interluit, Occidentalis urbis pars Elcarch appellatur, quam Abu schefer Elmensur, cum urbem conderet, colebat: Orientalis urbis pars Asker Elmehdi dicitur; quia Mehdi Mensuri filius eam primus cum exercitu suo insedit: Urbs vero nomen suum invenit, ut placet nonnullis, à simulacro Bag, quod ibidem olim divinis honoribus colebatur, & à Dad, quæ à Persica voce Daden derivatur, & dedit significat, quasi tu eam, simulacri Bagi munus esse, dicas: Vel ut alii malunt, à Rege quodam Bag appellato, quasi tu illam Bagi Regis opus esse dicas: vel à Persica voce Bag, quæ Persice hortum notat, & à viro quodam Dad appellato, ac si illa Dadi cujuspiam olim hortus fuerit: posita est longitudine septuaginta graduum,

qua-

quadraginta quatuor minutorum: latitudine triginta trium graduum, viginti quinque minutorum: Babylon urbs ab hac longe fuit diversa, quippe ea condita fuit ad flumen Euphratem, à quo interluebatur media: longitudine quidem graduum septuaginta; alii malunt sexaginta novem: latitudine triginta duorum; adeoque bidui itinere Bagdado dissita fuerit.

Pag. 113. * *Respondit tapetum*: *Ego caput meum limini impono*:
Haud tuo exemplo caput ad astra levo.

In Oriente nullos conclavium parietes Europæorum more tapetis vestiunt; sed eorum pavimenta iis consternunt, quibus & ingredi & insidere, sine ullo sordium inquinamento, mos est; cum duplici calceo vestiti, exterior sit exutilis, quem antequam tapeta contingant, sine ulla molestia, crepidarum instar facillime exuunt: hinc tapetum, cum solo insternatur, ita loquens inducitur: Ego caput meum limini impono; non ad astra levo.

Pag. 114. * *Respondi ego*: *Erras; quinimo oraculo quam maxime suffragantur*; *Altissimus enim Deus ita ait*; *si tibi* (*parentes tui*) *institerint, ut mihi socium adjungas, quem tu negas, ne illis obtemperaveris.*] Hæc verba ex ipso Corano petita potissimum Christianos notant, quia Muhammedes, ut omnes pariter infestis armis peteret, primum omnes Vatiniano odio inter suos traducere debuit, prætexto parando sibi imperio Numinis jussu. Gentilibus itaque suo jure & lege nulla vitæ relinquitur spes, nisi

sacra Muhammedana amplexi, in ipsorum verba & sensus juraverint: Christianis atque Judæis pariter quoque infestus, illis propter Sanctissimæ Trinitatis mysterium, his propter trucidatos quondam prophetas; utrisque, quia non rejectis suis sacris, quæ Muhammedes abrogasse Numinis jussu ambitiose jactat, ipsorum imperia & Coranum per omnia sequantur; aliqua tamen ratione mitius habentur gentilibus, quod scilicet persoluto vectigali vitam redimere possint quotannis.

Pag. 115.[a] *Iurisconsultus quidam filiam suam maxime deformem cæco cuidam matrimonio sociavit: scriptores tradunt, eodem anno ex insula Serendib Medicum quendam venisse, qui cæcis visum restituebat. Iurisconsultum rogarunt: Quidni genero tuo oculorum usum quoque reddis? Respondit ille: Metuo, ne videns, filiam meam repudiet.*] Serendib Indici maris insula, urbem nomine Agnam habet, longitudine centum viginti quatuor, latitudine sesquigradus positam; Insulam totam in duas partes dividit vastissimus mons, cui Rahua nomen est, ipsi lineæ æquinoctiali suppositus. Opinantur Muhammedani, primum hominem Adamum Paradiso, quem ipsi in cœlo fuisse statuunt, à Deo ejectum; in hunc montem primum descendisse: Europæi Insulam istam vulgo Zeilan appellant.

Huic vero Sadi nostri historiæ gemina est illa, quam Arabes tradunt: Patrem quendam filiam habuisse valde deformem, adeo ut eam

cæco

cæco cuipiam in matrimonium dare coactus fuerit; hæc aliquando marito suo inquit: Mi vir, ô si tu nunc oculorum usum haberes, ut me vel semel contemplari posses! tum demum conspiceres vultum meum plenilunii instar splendidissimum, collum meum argenti instar nitidum, genas meas ut aurum coruscantes, mentum ut rosam, labia uti rubinum, dentes ut uniones, linguam uti corallium. Ad hæc maritus: Quamvis ego o mulier, non oculorum quidem; sed recti tamen judicii usum habeo, quod equidem hoc mihi persuasum it, si tu ea pulchritudine fuisses, qua te nunc mihi non videnti jactas, non te mihi cæco nuptum dedisset pater.

*Pag. 117. * Velamen septem coloribus distinctum foribus tuis ne obtendas,*
Tu, qui intra ædes storeas, seu vilia stragula tenes.]

Hic autor noster alludit ad Orientalium morem, quo omnes ædium suarum solum, tapetis divites, pauperes vero storeis & vilibus stragulis consternunt, præterea contra hibernas tempestates foribus velamina diversorum colorum vel texta, vel ex vario panno scite consuta obtendunt: monet igitur pauperem, qui storea vili conclave habet constratum, ne speciosum velamen foribus suis obtendat. Quo ipso religiosos docet, ne animo & moribus pravi, externo religioso habitu fictam pietatis speciem hominibus ostentent.

Pag. 118. † Moris est, ut domini, qui mancipiis libertatem reddunt,

Senioribus ex iis libertatem præstent.]

Hic Sadus sub aliena persona causam propriam agit, argumento à dominis petito, qui cum insigne beneficium servo alicui conferre volunt, seniorem servilibus tædiis per multos annos viribus exhaustum manumittunt; ut isto pacto beneficium longe acceptius esse videatur. Sic Sadus petit, ut Deus illum tanquam senem multis malis exercitum, dira infernalium pœnarum servitute ereptum, æternæ beatitudinis libertate donare velit.

Pag. 118. * *Infelix est ille, qui caput suum deflexerit*

Ab his foribus; alias enim fores non invenerit.]

Hic per fores ipsum divinæ Majestatis Numen accipitur, ad cujus scilicet limen omnes, quotquot calamitatibus premuntur, accedentes opem implorant: Monet autor has fores, ut unicum salutis portum, minime deserendas, quia nusquam aliæ inveniantur.

Pag. 119. * *Inscriptum fuit tumulo Bihrami Couri:*

Manus liberalis lacerto robusto præstat.]

Hic Bihramus Cour ille Rex est, cujus supra meminimus pag. 316.

Pag. 119. † *Non restitit Chatemtajus, verum in æternum*

Restabit magnum illius nomen, benevolentia & liberalitate famosum.]

Chatemtajus gente Arabs, vir omnium seculorum memoria dignissimus, non fui tantum; sed omnis ævi mortalium liberalissimus fuit, adeo

adeo ut insigni sua liberalitate, cujus nunc quoque recens memoria est, liberalitatis vocabulum genti suæ eripuerit, & suum illi nomen pro eo reliquerit: Chatemtajum enim vocant, si quem liberalem dicere volunt. De innumeris egregiæ ejus liberalitatis exemplis, quorum pleni sunt omnes Arabum libri, pauca tantum velut in transitu hîc attingere consilium est, unde tanquam ex ungue leonem divinam viri indolem, qua demereri omnes gaudebat, cuivis facile erit æstimare.

Igitur memoriæ proditum est, Chatemtajum inter equos, quos plurimos alebat, pulcherrima corporis specie equum habuisse, colore atrum, cursus celeritate, supra quam dici potest, celebratum:. Chatemtajus vero & is, quem dixi, equus, late orbem impleverant, ille liberalitatis, hic pernicitatis suæ fama, adeo ut apud ipsum etiam Græcorum Imperatorem uterque aliquando ita laudaretur, tanquam si neuter, nec Chatemtajus liberalitate, nec equus generositate parem usquam inveniret. Tum Imperator consiliario suo illos laudanti: Rem nunquam visam, inquit, sine certissimo testimonio laudare non decet; ejus rei periculum facere mihi certum est, laudatissimum illum equum à Chatemtajo petam, si petenti donaverit, tum demum re intellexero, illum liberalitatis nomine summum virum esse; sin negaverit, tantum vana fama falsum hoc liberalitatis nomen differri. Imperator igitur ad Tajanam familiam sapientissimum virum cum decem comitibus legatum misit,

qui

qui hieme domo digressi, vere eo pervenere: Quibus Chatemtajus quam benignissime exceptis, generosissimo illo equo mactato epulum statim apparat, atque inter epulas hospitibus suis, quo gratos sibi venisse eos testaretur, regali munificentia manipulos auri plenos dilargitur. Legato postridie missum se dicenti, quo inclytum illum equum imperatori suo peteret, Chatemtajus hac voce tanquam fulmine quodam perculsus ait: utinam vero, vir summe, maturius legationis tuæ causam exposuisses, ut donato illo equo te & imperatorem tuum beare potuissem? Ego enim præstantissimum illum equum heri in vestram omnium gratiam mactavi, & assum atque elixum vobis epulandum apposui: Cum ob spurcam cœli tempestatem, & largissimos imbres, quibus omnes viæ inviæ erant, alii equi, qui in pascuis essent adduci non possent; nec ovium, boum, aut camelorum, qui longe aberant, copia ulla esset, ut non aliis, quam mactati hujus equi dapibus vos excipere potuerim: indignum enim ingenio & moribus meis existimabam, si hospites mei, minus liberaliter habiti, jure conqueri posse viderentur: ego enim in hac vita non equi; sed nominis mei inclytam famæ gloriam affecto: Tum Chatemtajus hospites suos aliis generosissimis equis, multo auro, & magnificis vestibus donatos domum remisit. Imperator tum ex legato, tum ex comitibus ejus quoque seorsim, intellecto liberalissimo illius ingenio, divinam viri mentem veneratus, assiduis eum laudibus

dibus ad cœlum ferre nunquam destitit.

Temporibus ipsius Chatemtaji, in Arabia Felici Rex quispiam fuit, qui liberalitatis & munificentiæ gloria omnes sui ævi Reges superabat, eoque nomine late inclaruerat, adeo ut suæ liberalitatis conscientia superbus, Chatemtaji nomen minime ferre posset: quin ad nominis ipsius memoriam graviter excandescens, laudantes eum his verbis acriter corriperet: Quid mihi vanum istum hominem memoratis, qui neque regnum, neque imperium, neque thesauros habet; sed incertis sedibus errans deserta colit? Quid eum mihi tantopere laudatis; non enim Rex aliquis est, qui de omnibus bene merendi habeat facultatem? Idem Arabiæ Rex aliquando magnificum toti populo epulum præbuit; in illo epulo incredibili quadam benignitate omnes habebat, ut cujusque dignitas & vitæ conditio maxime postulare videbatur; Inter ipsas epulas aliquis forte Chatemtaji mentionem fecit; alius quispiam hoc audito, eum pleno ore celebrare & beneficentiam ejus prædicare cœpit. Quo ipso Rex invidiæ stimulis accensus, Chatemtajo irascitur, adeo ut interficiendi ejus consilium caperet, ita enim secum reputabat: Hoc quidem vivo, dignam ex liberalitate famam sperare non licet, tenet ille, tenebitque, dum vivet, hoc liberalitatis regnum, & fulgore gloriæ suæ, inclarescentis famę meę luminibus officit. Repertus igitur ex satellitibus regiis est, qui Chatemtajum se interfecturum pollicitus, extemplo Tajanam familiam peteret: Ille ubi ad

Tajanæ

Tajanæ familiæ ſedes pervenit, fit ei obviam juvenis quiſpiam, qui ipſe Chatemtajus erat, cujus incredibili humanitate, & ſuaviſſima oratione captus mire delectabatur: hic ſummi ingenii & divinæ benignitatis juvenis, ſatellitem illum hoſpitio ſuo exceptum, quam liberaliſſime habet, adeo ut malum hominis animum, omni officiorum genere devinctum & devictum, prorſus ſibi conciliaverit. Poſtridie juvenis diſceſſuri hoſpitis manus deoſculatus, precibus obnixe obteſtatur, aliquot etiam dies apud ſe commorari velit, ut ex animi ſententia eum coleret, ſe enim brevitate temporis prohibitum, nulla juſta beneficentia & honore hoſpitem ſuum proſequi potuiſſe. Hic ſatelles infit: Minime commorari diutius hic licet, grave enim quoddam negotium, quod lentas moras non patitur, alio me vocat. Tum juvenis: ſi id mihi aperueris, & operam meam ad illud negotium quidquam conferre poſſe cenſeas, equidem omnem operam dabo libens, ut voti tui quam primum compos fias. Satelles benigniſſimo hoc juvenis reſponſo lætus, ô liberaliſſime juvenis, admove aures, inquit; ut tibi arcanum meum detegam & conſilium prodam: quia certus ſum, benignos & liberales viros, ab aliis ſibi credita arcana nuſquam effutire, proinde & tibi hoc fidenter committo, ne illud cuiquam mortalium prodas, per Deos immortales obteſtatus: Noſtine in hoc loco virum aliquem nomine Chatemum, ingenio præſtantem & moribus benignum? Arabiæ Felicis Rex caput ejus expetit, & me ad inter-

interficiendum eum huc misit, graves inter illos inimicitias esse oportet, quarum quidem causa parum mihi comperta est. Tu si mihi hominem commonstraveris, aut ubi habitet, demonstraveris, satis mihi officii feceris, nihil amplius expeto. Tum juvenis cognito hospitis sui arcano & atrocissimo consilio ridens inquit: Chatemtajus ille, quem quæris: en ipse ego sum! Caput hoc meum, ecce, gladio tuo ultro præbeo! præcide sane, & aufer, atque desideratum hoc munus Regi tuo offer, ut tuo & ejus animo abunde factum sit satis. Sed nunc è vestigio id auferas, moneo, dum adhuc multa nox est, ne forte, si cesses, ubi diluxerit, periculum tibi à familia mea immineat, & pulcherrimam occasionem, quæ nunc adest, cunctando corrumpas. Cum Chatemtajus intrepide & liberalissime homini caput suum amputandum offerret, ipse novo hoc rei miraculo perculsus, lacrymis ubertim per genas manantibus alta voce exclamat: Mox præ stupore collapsus, denuoque resurgens, modo solo, modo manibus, pedibusque ejus oscula figens, cum incredibilem illam animi constantiam, & liberalitatem plus quam humanam demirari satis non posset, cogitati facinoris culpam supplex deprecatur: & gladio pharetraque, victi in modum, humi projectis, manibusque in cœlum admirantium more sublatis, inquit: Si medius fidius vel unum corporis tui pilum violare ausus fuero, non equidem vir, sed ignavissima mulier æterno cum opprobrio omnibus habear; dignissimus certe, quem

Dii

Dii Deæque omnes sempiternis animi corporisque suppliciis mactent: sic ille. Tum mox discessum parans, Chatemtajum quam amicissime complectitur, eumque deosculatus Arabiam suam Felicem repetit, & ad Regem suum redit. Rex conspecto viri vultu, cum eum nihil egisse cognosceret, inquit: Ehodum ad me bone vir, ut audiam ex te, quid tandem renuncies, cur caput ejus pharetræ tuæ alligatum huc non adfers? An vero congressus viro, certamine impar eras, qui re infecta redeas. Ille supplex terram facie contingens, cum Regem veneratus esset, inquit: Ego Chatemtajum virum reperi gloriæ fama celeberrimum, magnanimitate, prudentia, liberalitate præstantissimum; moribus formaque pulcherrimum, & quod fateri pudet, fortitudine meipso longe superiorem. Ille me infanda beneficiorum mole obrutum, benignitatis & liberalitatis gladio jugulavit. Hinc Regi, quæ viderat ipse, atque expertus erat, omnia enarrat ordine. Quibus auditis, Rex tantum Tajanæ familiæ decus gratulatus, divinasque Chatemi animi corporisque dotes toto pectore veneratus, ingenue inquit: Merito te, Chatemtaje, tanquam præsens aliquod Numen certatim laudant & colunt omnes, quia virtus tua famæ respondet. Atque satelliti illi, cujus eum oratio mirum in modum affecerat, marsupium auro plenum, laborum virtutisque suæ præmium dari jubet, quod liberalissimi Chatemtaji nomine obsignatum atque ornatum esse voluit.

Ali-

Aliquando legatum misisse dicitur Namano Munseri filio, ille contra ipsi duos camelos auro & argento bene oneratos remisit: Ad cujus rei famam Arabes Nomades certatim advolant, dicentes: Tibi tantæ missæ sunt divitiæ, nos vero pauperes huc adsumus, ut earum tuo beneficio participes fiamus. Tum Chatemtajus omnes illas divitias summa liberalitate ipsis distribuit, ut ipse nec hilum ex iis sibi reservarit.

Hic tantus vir, quem natura in id produxisse videtur, ut perfectæ benignitatis exemplum omni posteritati repræsentaret, jam à teneris unguiculis, atque primo adeo infantiæ ortu, (mirum dictu, mirum creditu,) quantus ille olim liberalitate vir futurus esset, dederat sane documenta maxima: quotiescunque enim mater infanti mammam dare vellet, nunquam eam attingere ille sustinuit, nisi simul etiam alienum infantem alteri mammæ suæ admovisset, ut cum per tenellam ætatem aliter non posset, saltem communicato materni lactis fructu, alios demereri inciperet, manifesto ingenitæ benignitatis argumento.

Matrem quoque liberalissimam habuit, adeo ut ipsa divitias, quas maximas habebat, effusa largitione plane profunderet: egestatis igitur metu, primum à sororibus frustra correpta, tandem in vincula conjecta fuit, uti dedoceretur malum istum largitionis morem; & cum annum in carcere exegisset, acquisitæ frugalitatis spe vinculis eximitur; sed illa ad ingenium rediens, denuo feminæ cuipiam egenæ

egenæ marsupium auro plenum dilargitur, inquiens: Tum temporis, cum in vinculis misere constricta, solitæ liberalitatis usum intermittere cogerer, votum feci, ut nullum posthac hominem pauperem indonatum à me dimitterem.

Tanta tam inusitatæ liberalitatis gloria etiam à morte viri, generi & genti ejus ad salutem profuit: cum enim Muhammedis ævo Tajana familia religionem illius amplecti nollet, hinc illam tanquam contumacem bello adortus, immisso exercitu, nonnullos ex ea capit, eosque ad se adductos interfici jubet, legem suam aversantes, ut qui per se impuri, impura quoque sacra colerent. Inter eos femina quædam forte erat, quæ supplicium sibi parari videns, infit: Ego inclyti illius Chatemtaji filia sum, vos mihi, ô Muhammedani, Muhammedem vestrum orate, ut mihi benefici patris filiæ libertatis beneficium præstare velit; jussu igitur Muhammedis illam vinculis compedibusque solutam dimittunt, de reliquis supplicium sumpturi. Quod cum Chatemtaji filia videret, carnificem populares suos jamjam gladio percussurum, lacrymis genas perfusa obtestatur, inquiens: Tu mihi quoque cervicem deme, malo enim cum popularibus meis una mori, quam sine iis sola superesse. Non equidem illud beneficium esse existimo, ut me solam vinculis exsolvi, populares vero meos vinculis constrictos ad supplicium rapi videam; morte igitur illis jungi, id vero mihi longe gratissimum erit. Hanc familiæ suæ calami-

lamitatem lacrymis manantibus, flebilique voce miserata expressit, ut ipse Muhammedes plorantis vocem exaudiret, precibusque ejus & grata benefici quondam patris memoria permotus, totam illius gentem liberam dimitteret.

CAPUT III.

Pag. 123.[a] Historia: *In Annalibus Ardesciri Babegani memoriæ proditum est, illum rogasse medicum Arabem, quantum sibi capiendum sit uno die? Medicum respondisse: Centum drachmas sufficere. Cui ille oblocutus, ait: Tantillum quid roboris homini præstare potest? Medicus reddit: Illa cibi quantitas te satis bajulabit: si vero illam excesseris; tu cibi bajulus eris.*] In Thesauro Regio geminus hujus nominis Rex occurrit, alter est Ardeschirus Esfendiari filius, cujus pater Custasibus Esfendiar Rusin Ten, Esfendiar æneo corpore cognominatus fuit. Alter est Ardeschirus Sasani filius, qui Babegani filiam conjugem habuit: hîc itaque addito Babegani nomine, alter Esfendiari filius excluditur, qui Babegani tritavus fuit.

Scriptum est in libro eo, qui Keschaf appellatur, Harunem Reschidum eximium Medicum habuisse Christianum, qui cum aliquando Ali Husini filio, nepoti Wakidi objiceret: Miror, vos in religione vestra nihil quicquam de Medicina habere, cum tamen duæ sint principes scientiæ, Altera corporum Medica, altera

altera animorum religio. Respondit Ali: Imo vero Deus in nostro Korano universam medicinam dimidio commate his verbis est complexus: *Edite, bibite; sed ne prodigite.* Tum instat Medicus; hæc Korani, id est, ut vos opinamini, Dei optimi maximi verba sunt; sed vates vester nihil quidquam de Medicina ipse prodidit. Imo, inquit alter: Vates noster paucis his verbis totam Medicinæ summam comprehendit: *Gula omnium morborum officina est, eorundemque præsens remedium abstinentia: atque cuivis corpori illud præbe, cui adsuevit.* Hic Medicus Christianus infit: Supervacua igitur omnis nostra Medicorum cura est, atque ipse omnium Medicorum Princeps Galenus operam suam perdidit.

Pag. 124. *Saccharum rosatum si nimium comederis, noxam adfert:*
Si vero siccum parce comederis panem, saccharum rosatum erit.]

Huc spectare videtur illud cujuspiam veteris sapientis præceptum, cui filium suum monenti, Ne cibum nisi cum saccharo comederet, filius ita respondit: Non reliquisti mihi, ô pater, tantas opes, ut cibum cum saccharo sumere possim. Tum infit pater: A cibo abstine, donec stomacho fame stimulato, quilibet cibus sacchari instar tibi edenti dulcis & suavis fiat.

Pag. 124.[b] *Apud lanionem quendam in urbe Wasita religiosi aliquantum æris alieni contraxerant: lanio suum quotidie flagitans, miseros acribus indignisque verbis laniabat.*] Wasita Arabice

bice Wasit appellatur, ab urbium medio scilicet, in quo posita esse dicitur: quia hinc Basram proficiscenti iter quinquaginta parasangarum patet: Cufa totidem distat: Ahvana quoque atque Bagdado tantundem: Uti nobis haud inepte Mesopolis sive Mediurbium dici posse videatur: utramque Tigridis ripam ædificiis ita complexa, ut ipsam flumen navali ponte junctum interluat mediam. Hinc asportatur calamus ille scriptorius, sive arundo, qua in Oriente, uti nos in Occidente anserinis pennis, commode utuntur, quæ etiam à natali suo solo, quo nascitur, cognomen tulit, ut Calem Wasiti, id est, Calamus Wasitanus dicatur: urbs amœna & multorum doctorum virorum gloria clara: posita est longitudine septuaginta unius graduum, triginta minutorum: latitudine triginta duorum graduum, viginti minutorum.

Pag. 125. * *Viro cuidam liberali in Tatarico certamine graviter vulnerato quidam infit:*] Per certamen Tataricum intelligitur illud, quod à Tataris Hulagu, quondam paganis, contra Muhammedanos certatum est; quibus etiam victis, Persidem atque Arabiam Tatari eripuerunt.

Pag. 126.* *Colocynthidem ex manu viri probi & benevoli si comederis,*
Præstat; quam si dulce (sive saccharum) ex manu viri virulenti & vultu torvo.]

Colocynthis Persis & Arabibus Hensal, Turcis Abu Schehel Carpusi dicitur: duo ejus genera sunt, mas & femina; fructus pomi magnitudine, insigni amarore, varias vir-

tutes in morbis curandis obtinet, præcipua vero ea est, quod potus mire adversetur serpentum, scorpionumque ictibus, adeo ut de eo referant, Arabem quendam quatuor diversis locis à scorpione ictum, hausto unius drachmæ pondere statim sanatum fuisse. Cum vero sua quoque incommoda habeat, adeo ut nisi aliis pharmacis correctus interficere possit, & insigniter amarus sit; hinc autor ait: se ex benevoli viri manu amaram colocynthidem, quam ex virulenti manu saccharum comedere malle.

Pag. 130.[c] *O tumide, quidnam te in discrimen præcipitavit,*
Ut interieris? Utinam formica non subvolaret!
Abjectus si dignitatem, argentum, aurumque obtinuerit;
Caput ejus colaphum omnino ambit.]

In Oriente & alibi quoque formicis, adulta jam æstate, alæ succrescunt, quas tum reliquæ adhuc in volucres certatim adoriuntur, ut moribus & corporis habitu sibi dissimiles, magno impetu vexant atque expellunt. Alatæ vero, alarum fastu superbæ, cæterarum tyrannidem fugientes, in sublime subvolant, quæ tum consortio & victu destitutæ, per tempestatem pereunt. Hinc est, quod autor noster dicit: Utinam formica alas non haberet, quia illa insperata & inusitata corporis dissimilitudo, quæ reliquis odio est, animos illi facit, atque iste per sublimia volatus, ipsi uti superbis suus fastus exitium affert.

Pag. 130. [d] *Quendam ex Arabibus, qui per avia incertis sedibus vagantur, in circulo*

gem-

gemmariorum ita narrantem audivi.] Arabes in duas classes commode dividuntur: in Arabem proprie dictum, & Arabem sylvestrem. Areb, Arabs universam Arabum gentem complectitur, sive urbes, sive pagos, sive deserta incolat. Aarab vero, ejus gentis partem notat, quæ urbibus, pagisque neglectis, sola deserta & campestria inhabitat, quem Arabem sylvestrem, vel Nomadem bene dixeris; inde adjectivum Arebi, id est, Arabicus, hinc vero Aarabi, id est, ad Arabem sylvestrem pertinens.

Pag. 131. * *Desiderium meum est fluvius, cujus undæ genua mea pulsent:*
Ut ingrediens utrem meum impleam.]

In Oriente aquam fontanam vel fluvialem utribus infusam, atque jumentis impositam, per urbes & pagos venalem circumferunt; viatores quoque in itinere utres aqua impletos devehunt, qua per sicca & arida locorum sitim expleant: hic vel utrem ipsum, vel ob similitudinem sitientis hominis ventriculum intellige.

Pag. 131. Aurum, quod tenet, etsi totum obryzum fuerit,
Vir sine viatico, animi desiderium in deserto haud expleverit.]

In textu obryzi loco Scheferinum habetur, quia Scheferini aurei ab Imperatore Schefero sic dicti, magnitudine & auri purissimi pretio celebrantur.

*Pag. 133. * Gallina assa in conspectu viri saturi,*
Vilior est cartami folio in prandio.

Pauperi vero & inopi, qui facultates non habet,
Coctum rapum gallina assa est.]

Cartamus sive nasturtium, in Oriente & Occidente quoque prandentibus pro obsonio est.

Pag. 134. [e] *Quendam vidi mercatorem, qui centum quinquaginta camelos mercibus onustos, quadraginta servos, ministrosque habebat: Quadam nocte in insula Kisch me in hospitium suum deductum, totam per noctem stolidis sermonibus fatigavit, inquiens:*] Insula Kischa sive Keischa inter Basram & Indiam posita, palmis abundat, uberrimo margaritarum proventu nobilitata, uno die ab expeditissimo equite obiri potest. Jacutus tradit; insulam esse amœnam, multo plurimis hortis & palmetis frequentem, quæ ipsius temporibus, cum eam lustraret, plurium doctorum virorum gloria inclyta erat. Posita est longitudine septuaginta octo graduum, octo minutorum: latitudine viginti octo graduum & octo minutorum.

Pag. 135. [f] *Hocne audivisti in campo Gurensi*
Viatorum ducem, camelo delapsum
Dixisse? Angustum avarumque mundani hominis oculum
Aut continentia, aut sepulchri humus opplet.]

Gura est duplex, altera inter Tehamam & Arabiam Felicem; altera inter Indiam & Belcham posita, unde campus hic dictus est.

Pag. 130. * *Servo necessitate perculso, quid refert supplices manus*
Tendere ad Deum pietatis causa, benefaciendi vero tempore eas sinu condere?]

Textus

Textus pro sinu vocem Bagal habet, quæ Arabice Ibton id est, axillam denotat, quasi autor dicat: Frustra est, Deum calamitatis tempore opem poscere, manibus in cœlum sublatis; benefaciendi vero tempore manus contrahere, easque sub axillas, aut sinum recondere.

Pag. 136. † *Propinqui pauperes audita clade vestes dilacerarunt, novas vero ex præstanti serico lana intertexto, & Pelusiaco varii coloris panno pararunt.*] Pelusium nunc Damiata dicitur, hinc textus Dimiati, id est, Damiaticus habet, quia hoc panni genus colore varium, ex lino & gossypio Damiatæ, in urbe Ægypti texitur, unde & nomen sortitur.

Damiata Ægypti urbs, muris cincta, mari ad Orientale Nili ostium, ubi in mediterraneum effunditur, adstructa, anno à Muhammedis fuga octingentesimo quadragesimo octavo diruta periit, crebris obsidionibus fatigata, tandem à Francis capta atque eversa fuit. latitudine unius & triginta graduum.

Pag. 138. f *Illo momento, cum hostis ingruerit densus,*

Arcus Kiancus tendi nequit.

Historici Persarum Reges in quatuor familias distribuunt, prima *Pischdadiorum*, undecim Reges continet, sic dicta à Persico Pisch, quod Prius, & Dad, quod justitiam notat, ac si primos illos juris præsides, sive justitiarios dicas, qui hoc cognomine ornari meruerunt propter egregiam justitiæ & æquitatis laudem, qua sylvestrem & ferinam hominum vitam ad virtutem & humanitatis mores compo-

posuerunt. Horum primus Rex Kiumertus fuit, qui omnium primus urbes & civitates in terris condere aggressus est, cujus auspicia fuerunt famosissima & antiquissima illa Persidis urbs Istechar, quam incredibilis artis & firmissimi operis fabricam, tanquam æternum & stupendum regiæ opulentiæ monumentum omni posteritati relinquere voluit: hanc ipse, & ab eo alii Persarum Reges diu regiam coluère, à quibus etiam, præsertim vero ab Huschenscho & Schimschido mirifice aucta & ampliata fuit, ut nulla usquam urbs magnitudine & magnificentia cum ea certare unquam potuerit. Rex ille Feridunus, cujus supra mentionem fecimus, in hac Pischdadiorum familia ordine quintus, Gerschasufus ultimus fuit. Altera *Kianeorum*, novem Reges complectitur, quorum primus Keicabadus, postremus Alexander Darabi, id est, Darii filius, per quem Alexandrum Sulcarnein, id est, Magnum intelligi volunt; quia eum non Philippi filium, sed ex filia nepotem esse contendunt Persæ: invaluit autem fama illa, ut diceretur Philippi filius, quia ab ipso educatus, tanquam in paternis laribus, nepos filii loco, ut sæpe fit, ad solandam filii orbitatem, habitus esset. Fuit autem patre penultimo Dario Persarum Rege, ex Philippi filia genitus, quam ille à nuptiis, comperto corporis vitio, ex se gravidam patri Philippo domum remiserat, unde etiam post patris Darii obitum, cum Dario fratre tanta discordiarum & bellorum semina de Persici regni hæreditate orta fuerunt. Regnante hac Kianeorum familia floruit laudatissi-

datissimus ille Cyrus, qui matre ortus Hebræa à sexto hujus familiæ Persarum Rege Bahmano, Esfendiari filio, Babyloni præfectus fuit: Idem ille Bahmanus, matris conjugisque Hebrææ, quæ, ut fama est, genus ad Davidem referebat, amore in hanc mentem impulsus, ut Cyro imperaret, Judæis, duce, quem ipsi vellent, præposito, redeundi in patriam, ad instaurandum templum Hierosolymitanum, potestatem faceret. Tertia *Eschganiorum* viginti quinque Reges habet, primum Schabur, id est, Saporem; ultimum vero Bihramum, Bihrami filium. Quarta *Sasanorum* unum & triginta Reges comprehendit, primum, Ardeschirum Babeganum Sasani filium, ultimum Jisdeschirdum Schehriari filium; cui à Muhammedanis gravissimis bellis oppresso, Persicum regnum ereptum fuit. Autor noster ab altera illa *Kianeorum* familia arcum Kianeum appellat, quia illa sagittariæ artis studio & gloria quam maxime floruit, unde etiam, ob insigne hujus artis studium, robustos & præstantes arcus semper habuit, quibus nomen suum adeo nobilitavit, ut arcus omnium fortissimi & præstantissimi à nomine ejus Kianei cognominarentur.

Pag. 138.8 *Similis equidem est mortalibus asinus ille;*

Vt vitulus corpore, voceque bovina præditus.

His verbis stolidus ille obesus, pretiosa toga indutus, Arabico equo insidens intelligitur, quem Sadus ingenii stupiditate asino, inepto corporis habitu vitulo, atque incondita vocis ruditate bovi comparat; atque pro his verbis,

ut vitulus corpore rescribe, Vitulino corpore, voceque bovina præditus.

Pag. 139. * *Præstantia & ars inania sunt vocabula; nisi in forum producantur:*
Aloen igni imponunt, muscumque terunt.] Hic per Aloën lignum, non vero planta, cujus quoque succus eodem nomine gaudet, intelligitur: illud enim Arabibus, Persisque Ud, hæc vero Sabber dicitur, & à locis, ubi nascitur, cognominatur, ut Sabber Sacuturi, Aloe Sacutrina, ab Insula Sacutra. Sabber Arebi, Aloe Arabica, quæ in Arabia gignitur. Sabber Semenschani, Aloe Semenschana; hæc omnium pessima, ista mediocris, illa præstantissima & est & audit. Utrumque insignes usus habet, hoc corpori, illud reficiendis sensibus nobile est remedium: hinc frequentissimus ejus in Oriente est usus, nec ejus virtus cognoscitur, nisi prunis impositum paulatim exuratur, sed nobilissimum est Mendelinum, aliis virtute longe præstantius; atque ideo autor ait: Aloën igni imponunt, ut virtutem suam exerat, alioqui nisi incendatur, quanta ejus sit virtus, vulgo ignoratur.

Pag. 141. * *Corpus viri sapientis, perinde ut aurum obryzum est;*
Quocunque iverit, momentum pretiumque ejus norunt,
Rudis vero divitis filius similis est coriaceæ Regis monetæ,
Quæ in aliena provincia nihil valet.] Coriaceam monetam Persæ Schehreva appellant, à voce Persica Schah, contracte Scheh, quæ Regem; & Reva, quæ alioquin licitum esse,

esse, hic vero voluntatem & arbitrium notat; ac si tu coriaceam illam monetam Regis arbitrio subditis obtrusam dicas. Fuit enim quondam in Perside Rex quispiam iniquissimus, qui subditis suis pro ære atque argento parva, nummorum magnitudine, coria imagine sui sigaata obtrudebat, quæ in contractibus tantundem, ac ipsum aurum valebant, istaque moneta ipsis sub jugo versantibus iniquior & visa & habita fuit, hanc quoque ob causam eam etiam hoc invidiæ nomine Schehreva notarunt, ac si tu dicas, Rex sic vult, sic jubet. Hinc quoque illa remansit monetæ istius memoria, ut cum Regis alicujus iniquitatem notare volunt, eum coriaceam monetam subditis suis obtrudere dicant.

Pag. 141.† *Formosus quocunque iverit, honorem & benevolentiam experitur;*
Etsi pater materque ipsum domo exturbaverint.
Pennam pavonis inter Corani videns folia,
Dixi: dignitas hæc gradu tuo altior est.]

Pavonis pennæ ob variam pulchritudinem inter librorum folia in Oriente ponuntur, quinetiam ipsius Corani, quem gens Muhammedana divinum & credunt & venerantur. Cum vero maxima librorum inter eos veneratio sit, ut disjectas etiam chartarum quisquilias magno studio colligant & asservent, neque ullam chartam obscœnis usquam usibus adhibeant, facile paret, summum hunc esse honorem, quo prosequuntur illum pavoniæ pennæ ornatum, hinc illa autoris verba: Ista dignitas altior est gradu tuo.

Pag. 142. [h] *Si in peregrinum orbem ex patria discesserit;*

Inopiam miseriamque non videt cerdo:
Si vero in peregrina loca inciderit ex regno suo,
Famelicus jacet Nimrusi Rex.]

Nimrusum in Turcia ultra mare Caspium urbs quædam primaria est. Pro peregrino vero loco textus habet vocem Charab, quæ solitudinem notat, hic vero regna ipsius imperio non subjecta intelliguntur.

Pag. 144. [x] *Donec tandem ad aquæ cujusdam ripam pervenit, quæ rapidißimo cursu continua saxa volvebat strepitumque ad milliare usque edebat.*] Pro milliari autor habet vocem Ferseng, Arabes Fersach dicunt, Latini Parasangam, complectitur duodecies mille passus.

Pag. 146. * *Quam bene monuit Bechtaschus Chiltaschum?*

Si hostem exacerbaveris; securus ne esto,

Bechtaschus & Chiltaschus duo nobilissimi sunt athletæ, quos celebrat Thesaurus Regius.

Pag. 147.* *Culices, si plures fuerint, elephantem pungunt;*

Quamvis animal sit ferocißimum & violentißimum.

Parvæ formicæ si consenserint;

† *Ferocißimi leonis cutem lacerant.*]

Præsentissimum elephanti periculum, imo exitium ab insectorum minimo culice imminet, qui eum agmine facto certatim invadere & acribus morsibus impetere solent: Cum vero proboscidem solus animalium habeat, si eam forte culex aliquis invaserit, acerrime discruciat, unde vastum illud animalium robur,

in

in morbum conjicitur, & fere isto frequentissimorum culicum malo extinguitur. Ut autem culices elephantum, sic parvæ formicæ animalium Regem leonem adoriuntur, quem lacerata cute crebris morsibus interficiunt.

CAPUT VI.

P. 155.* H*Ocne audivisti, quendam religiosum applicuisse ferramentis calcei sui aliquot clavos.*] Mos Orientis populis est, ut calceorum soleis communiter cum feminæ, tum viri, ad gradum certius figendum, ferramenta suppingant, quorum exemplum Mosci, Poloni & Hungari in Europa sequuntur.

Pag. 52. [a] *Sahbanum Wajelum eloquentia dixerunt incomparabilem; qui etsi per annum integrum pro concione verba faceret, verbum nullum bis dicebat.*] Sahbanus in Arabia eloquii gloria inclytus, Wajeli filius fuit, quia vox Ibn, id est, filius, ob frequentissimum usum, inter duo nomina propria brevitatis causa, ut hic, sic alibi, sæpe intelligitur.

Pag. 157. [b] *Nonnulli servorum Regis Mahmudis rogarunt Husinum Meimendinum dicentes: Hodie tibi quid Rex de hoc dixit negotio?*] Husin Meimendinus Regis Mahmudis prorex fuit.

Pag. 159. Historia: *Astrologus quidam domum suam ingressus hominem peregrinum cum uxore sua sedentem deprehendit; ignominiarum flammas vomere, calumnias jacere cœpit, adeo ut jurgia & contentiones natæ fuerint.*] Historiam huic aliam haud dissimilem Arabes scriptores

radant: Fuisse virum quendam, qui domi suæ hominem ignotum apud uxorem suam sedentem deprehenderit: maritus cum sublato clamore rem vulgare pararet, ignotus ille his verbis id impedire conatus dixit: Audi me, bone vir, tibi consilium dabo rectum, quod si rem hanc uspiam proferas, mulierem adeo formosam repudiare necesse erit, quam si repudiaveris, serio & sero te repudii pœnitebit: sin autem celaveris, nemo culpæ hujus conscius erit. Maritus his verbis ad saniorem mentem revocatus, postquam rem omnem diligenter apud animum suum perpendisset, celandæ rei consilium admisit, sed hominem istum probrosa & minaci oratione increpitum domo sua expulit.

Pag. 159. *Tu si declamantem audivisses, dixisses equidem picæ vocem vocis ipsius cantum fuisse.*] Pica Arabibus Gurab Elbein, id est corvus inauspicatus, sive medius dicitur, quasi vero ille interveniens obstet, quo minus voti sui compos quis fieri possit: quia opinantur Arabes, si quis peregre profecturus obviam in via habuerit picam, illum sui voti nulla ratione compotem fore, atque hinc pica conspecta, illam ut sinistræ fortunæ augurium fugientes, plerumque ex ipso itinere domum redeunt.

Pag. 159. [c] *Quando præco ille asinorum pater rudebat,*
Vocem edebat, quæ munitissimam
Persarum arcem Istechar destruebat.]
Istechar Persicarum urbium antiquissima, jam olim ab ipsis Persici regni primordiis diu ejusdem

ejusdem gentis regia fuit, urbis magnitudinem, ædificiorum magnificentiam vastissima ruinarum monumenta hodieque arguunt; antiquitas urbem hanc, ob incredibilem fabricæ artem & structuræ solertiam, quam ab humano ingenio ne fingi quidem, nedum opere, aut arte fieri potuisse existimarunt, ab ipsis geniis, uti & Baalbeccam, & Tedmuram conditam esse posteritati persuaserunt. Schirasâ distat duodecim parasangis, posita est latitudlne triginta duorum graduum, octo minutorum.

Pag. 160. [d] *Quidam in sacrario Sincheriano gratis alta voce preces præibat, voce inquam; quæ insuavitate sua auditorum animos raderet.*] Sinscheria juxta Bagdadum prope Niniven egregium quondam oppidum fuit, nunc vero eversum in ruderibus jacet.

CAPUT V.

Pag. 166. *ETsi tu septem quidem Corani partes memoria recensere possis;*
Amore si fueris captus, ne Alphabetum quidem noveris.]

Corani Lectores, totum Coranum tempore Hoschasi in triginta duas partes diviserunt: deinde eodem quoque tempore in septem partes distribuerunt, adeo ut per septem partes ipse totus intelligatur.

Pag. 172. * *Hodie denuo reverteris, ut amicitiam cum illo redintegres,*
Dum Fetha & Samma apposuisti.]

Per Fetha & Samma Arabum vocales ob figurarum similitudinem barba intelligitur,

ut qui imberbis antea discesserit, nunc barbatus rediisse videatur.

Pag. 174. * *Psittacum cum corvo eadem concluserant cavea, psittacus ex horrido ipsius corvi conspectu mire discruciatus inquit: ô corve, utinam inter me & te Orientis & Occidentis spatium interpositum esset!*] *ô corve*, hic autor voces Gurab Elbein, adhibet, quæ corvum inauspicatum significant, quo picam signant. Sed cum antea simpliciter de corvo orationem instituerit, ne hic lectorem incerta varietate vocum turbaremus, nos eandem vocem retinuimus; id modo innuentes, illis gentibus picam quoque corvorum generi annumerari.

Pag. 177. * *Defunctæ mulieris mater, decrepita anus, propter rationem dotis in ædibus illius remansit.*] Quia dos illa defuncta filia ad matrem lege redibat, & cum ille non esset solvendo, mores illius ferre debebat.

Pag. 178. * *Rosa decerpta est, spinaque remansit; Thesaurum abstulerunt, serpens relictus est.*]

Per rosam & thesaurum formosa illius conjux, quam mors abstulerat; per spinam & serpentem conjugis mater, decrepita & morosa anus, intelligitur.

Pag. 179. *Quodam anno Mahmudus Rex Chorsemæ cum Chitææ Rege proprii commodi causa pacem fecit; ingressus ego templum Caschgeranum, quendam vidi puerum mira pulchritudine præditum, &c.*] Chaschgera urbs Chitææ amplissima, muris cincta, Turcarum regia est, superstitione Muhammedana jam olim infecta, longitudine nonaginta sex graduum, triginta minutorum; latitudine quadraginta quatuor graduum.

Pag.

Pag. 180.* *Ego vero ajebam: ô fili, Chorsema atque Chitæa pacem inīverunt; num Seidus atque Amrus bellum fovent æternum?*] Chorsema Asiæ provincia, ultra mare Caspium sita, ab Oriente Mawra Enneher, id est, TransOxianam, à meridie Chorasanam, ab Occidente & Septentrione Turciam antiquam limites habet, maximo frigori est obnoxia hanc ultimam flumen Scheichun interluit cultam, quia illam emensum per inculta deinceps fertur, maximam, quam continet urbem, fluminiScheichuni à meridie adstructam Kurkensch appellant, Arabes eam Scharschaniam majorem vocant, continet & alteram quoque urbem, sibi cognominem, quæ Arabibus Scharschania minor dicta, eidem flumini à septentrione adjacet. Chitæa Turciæ antiquæ provincia, cujus caput Chaschgera est. Cum vero pax illa inter Chorsemæ & Chitææ reges iniretur, autor ipse legationi, ad pacem faciendam missæ, præfuisse, aut certe interfuisse creditur, quod haud obscure arguere videntur hæc ipsa autoris verba: *Quodam anno Mahmudes Chorsemæ Rex cum Chitææ rege pacem inīverunt: ingressus ego templum Chaschgeranum vidi puerum quendā mira pulchritudine præditū, &c.*

Pag. 183. *Heu miseræ illi! quæ non acquiescebat, neque somnum capiebat;*
Nisi rosas atque flores Nasiræos primum substravissent.]

Flores Nasiræi, sunt Narcissi, neque dubitem, quin Narcissi vox ex ipsa voce Nasrin deducta, aut corrupta fuerit; quia ut Oriens primus florum propter cœli clementiam cultor fuit,

fuit, ita suis quoque florum deliciis primus nomina imposuit, qui inde ad alias gentes, ad aliud solum translati, alia quoque nomina vel accepere, vel sua corrupta retinuere.

P. 184.* *Vtinam illi, qui vitium meum carpunt,*
Vultum tuum, ô Leila, animos in amorem flectentem viderent,
Vt pro aureo malo, tui aspectu
Abrepti, & velut obliti sui, manus suas scinderent.]

Locus hic lucem fœneratur ab illa Josephi historia, quam in Corano à Muhammede traditam, interpretes Arabes hunc in modum uberius exposuerunt: Nimirum Selicham Principis Ægypti conjugem, cum illa Josephi pellicibus indiciis amores expeteret, nec tamen animum ejus ad pudicitiam obstinatum expugnare posset, ad istam indignissimi facinoris famam omnes horruisse Ægyptias feminas, damnato hoc Selichæ consilio, quæ in tanto majestatis fastigio constituta, servi Cananæi, Josephi inquam, pudicitiam per degeneres blanditias tentare sustinuisset. Ipsa hoc vituperandi feminarum judicio ad se delato, eas ad epulum invitat, & cum aurea poma, addito singulis cultro, apposuisset, ipsa Josephum prodire in illarum conspectum jubet, quem cum feminæ istæ intuerentur, incredibili pulchritudinis ipsius fulgore abreptæ, & veluti oblitæ sui, poma incisuræ, manus suas vulnerarunt, his vocibus per stuporem editis: Proh Deum immortalem! Non homo hic; sed pulcherrimus Angelus est. Tum Selicha infit: Atqui iste est, ob quem me tantopere vitupera-

perastis: Iste, inquam, servus ille est Cananæus, cujus me amantem stultitiæ damnastis, antequam pulchritudinem ipsius contemplatæ essetis. Sed si animis vestris tantam vel hominis pulchritudinem concipere potuissetis, cum temere damnaretis meum amorem, procul dubio animo meo veniam dedissetis.

Pag. 186. * *Narrant judicem sacrum Hemedanensem cujusdam fabri ferrarii filiam amasse; &c.*] Hemedana urbs in Perside cognominis provinciæ maxima, quatuor portas habet, hortorum & fluviorum deliciis insignis, rara agrorum fertilitate commendabilis, longitudine septuaginta graduum, octo minutorum, latitudine triginta sex graduum, octo minutorum: distat Spahana octoginta parasangis.

Pag. 189. * *Vultus amici ex crispatis cincinnis effulgens,*
Similis est pilæ eburneæ in orbe clavæ ex ebeno factæ.]

Alludit hic autor ad gentis suæ lusum, quo illa exercendis corporis viribus, pilam eburneam clavâ, quæ una parte orbem ex ebeno excipiendæ pilæ aptum habet, summis viribus quam longissime excutere contendit. Candidissimum ebur & nigerrimum ebenum, alterum alterius contrario colore quam pulcherrime refulget; formosissimam igitur faciem ob malarum rotunditatem, & nitidissimum vultus candorem eburneæ pilæ, crispos vero cincinnos faciem blande amplexos, ob nigrorem clavæ orbi ex ebeno concinne comparat.

Pag. 191. *Rex benevole judicem expergefecit, inquiens: Heus tu! expergiscere, quia jam Sol*

est

est ortus. Iudex rem cognovit & rogavit: Ex qua mundi plaga ortus est Sol? Rex respondit, ex Oriente. Iudex infit: Laus Deo (immortali,) quia pœnitentiæ porta adhuc est aperta, argumento hujus traditionis:] Non claudetur pœnitentiæ porta servis, nisi cum ortus fuerit Sol in Occidente. Traditionem hanc ipse Muhammedes reliquit, atque aliis autoribus aliis paulo verbis recenseri solet. Quicunque pœnitentiam egerit, antequam Sol ex Occidente ortus fuerit, illum in gratiam clementer recipit Deus.

Pag. 191. Si me comprehenderis; dignus equidem fuero:
Si vero mihi ignoveris; venia pœnæ præstat.]
Omnes virtutes vitia habent opposita, velut scientia inscitiam, fortitudo ignaviam: sola vero Justitiæ virtus aliam virtutem oppositam tenet, clementiam, inquam, sive veniam lapsis.

*Pag. 193. * Iuvenis integris moribus honestam deperibat puellam:*
Ambo in syrtes illapsi, mox perituris cum adesset nauta,
Vt manum juvenis prehenderet; ne forte ista calamitate periret:
Clamabat ille ex mediis undis:
Sine me modo, & amicæ meæ manum prehende:
Hoc dictum ipsius totus terrarum orbis est miratus.
Audiverunt eum, cum animam expiraret, ita dicentem:
Amoris historiã ex infido isto homine ne discas,
Qui calamitatis tẽpore amicitiæ obliviscatur.]
Tradunt Arabum scriptores de Muhammede Abdullahi filio Bagdadensi, ipsum vidisse Bas-

ræ, juvenem quendam, qui summo ædium tecto conscenso his verbis populum alloquebatur: Qui moritur præ amore, sic moriatur, quia amor sine morte inanis est: Mox se ex alto præcipitem dans, ruina misere elisus periit.

Pag. 193. * *Tu ab illo, qui expertus est, discas, ut noris;*
Quia Sadus ita viam & modum amandi
Novit, ut Bagdadensis linguam Arabicam.]

Castissimo & elegantissimo linguæ Arabicæ usu celebres fuerunt cives urbis Bagdadi, quam medio inter Persidem & Arabiam loco, optimo cœli & soli situ positam, Imperatores Abasidæ diu regiam habuerunt, quorum temporibus non tantum Imperii sedes; sed omnium artium & scientiarum domicilium fuit, & fœcunda præstantium ingeniorum mater, unde tanquam ex equo Trojano innumeri doctrinæ & ingenii principes prodierunt, imprimis vero illustre inter Abasidas inclyti illius Almaimonis nomen fuit, qui summus doctorum virorum cultor, idem ac antistes, promovendis publico bono præclaris ingeniis natus, omnia sapientiæ instrumenta Græcorum atque aliarum gentium, egregia liberalitate undique conquisivit, & in Arabicam linguam verti curavit; Idem ille etiam propositis amplissimis præmiis, ad liberalium artium & Arabicæ linguæ culturam omnium animos ingenti studio inflammavit, unde non tantum artes omnes & scientiæ; sed ipsa etiam Arabica lingua per Chaldæam finitimasque terras propagata, & ab omnibus certatim exculta fuit, atque ad summam elegantiæ perfectionem deducta:

quare

quare etiam Bagdadensium lingua eo loco apud Arabes, quo Attica apud Græcos fuit, ut optime Arabice crederetur loqui, qui Bagdadum patriam haberet.

Pag. 193. *Si Leila & Metschnunus reviviscerent,*
Amandi historiam & Artem ex hoc meo libro discerent.]

Decantati per totum Orientem Leilæ & Metschnuni amores prolixiores sunt, quam pro instituto nostro, quos si pro dignitate, aut amplitudine parem exponere, tempus, quam res maturius me deseret: nos, qui breves esse laboramus, cupidum ejuscemodi rerum lectorem ad illos autores remittimus, quibus unum hoc opus fuit, amores illos incredibili quadam orationis suavitate celebrare. Illorum autem historiam in altero opere nostro, quod præ manibus habemus, brevi edendum, si Deus nobis vitam & vires, uberius persequemur.

CAPUT VI.

P. 194. E *Go senis dicta Damascenis Arabice sum interpretatus, mirantibus longum vitæ spatium, intemperatamque de vita mundana hominis solicitudinem.*] Duo vitia ingravescente ætate senes haud segni pede comitantur, *opum* scilicet & *longioris vitæ avaritia*: Quod Arabes argutissima sententia, quamvis illi suo Muhammedi eam adscribant, elegantissime expresserunt: Hominum ingenium id est, quando ipsi ætate senescere paulatim incipiunt, duo

vitia

vitia in illis adolescunt, Avaritia & longioris vitæ desiderium.

Pag. 195. * *Peritus medicus manuum concussu salutem se desperare prodit:*
Cum senem decrepitum ægrotantem viderit.]

Manuum concussus ad magnos & subitos casus, cum mentem & vocem mœror intercipit, desperantium gestus est, per quem illi dolore amentes calamitatis magnitudinem, quam voce & mente non possunt, miserabili prorsus ratione exprimunt.

Pag. 195. [a] *Senex agonis ultimique spiritus efflandi miseriam plangebat:*
Aniculaque quædam illi Sandalum affricabat.]

Sandalum arbor Orienti notissima, triplici genere colore suo distincta, rubro, albo & flavo: frigida ultimo gradus secundi est, sicca secundo, medetur omnibus inflammationibus, qua aquæ rosaceæ mixta caput, pedumque plantæ ad pellendum capitis dolorem & calorem haud inutiliter inunguntur: quod ipsum anicula illa morienti seni fecisse hic traditur.

P. 197. [b] *Postquam vidit apud maritum suum Rem, jejuni labiis molliorem,*
Dixit: Hæc res cum ipso mortua est:
Oratio autem est propter dormientem.]

Oratio hæc, quæ Arabibus Asimaton: & Rukiaton, Persis Affun dicitur, illa est, quam chartæ inscriptam ægrotis morbo pellendo vel propinant, vel collo ut amuletum appendunt, vel religioso conatu admurmurant. Muhammedani plerumque divina nomina, vel preces, vel integra capita ex ipso Corano

no

no deprompta habent, cui superstitioni istud hominum genus plurimum tribuit.

Pag. 898.ᶜ *Rem ut paucis absolvam, implacabilem matrimonii discordiam, divortium finivit; completo divortii tempore, eam in matrimonium dederunt cuidam juveni &c.*] Post divortium Muhammedanis ritibus femina aliquot mensium spatium cœlebs agere debet, ut interea temporis certo patescat, an ex primo marito gravida sit, nec ne: ut infans suum patrem, & pater suum agnoscat infantem; ne forte, hæc si cautio absit, fœda generis humani confusio fiat, & promiscua stuprorum & incestuum licentia invalescat. Deinde etiam, ut si divortium per iræ impetum forte sit factum, dato illo deliberandi & resipiscendi spatio, pristinus conjugii amor possit redintegrari, quod utique haud facile sit, si repudiatæ alterius viri conjugium statim sit concessum.

Pag 199. * *Bonus ille senex lætabatur, se filium habere ingenio egregium:*
Filius vero patrem ludificans per ludibrium decrepitum vocabat.
Sed audi, (ô senex) multi tibi labuntur anni, quibus
Patris tui tumulum non invisis.]

In Oriente tàm Christiani, quam Muhammedani vatum suorum & aliorum, vitæ sanctitate illustrium virorum, atque majorum suûm sepulchra frequentius, semel vero in anno solenni ritu invisere, preces suas illic fundere, suffitum adolere, & planctum miscere solent. Adstant quoque ex Armeniis Christianorum sacerdotes, qui prò defunctis preces suas ad sepul-

sepulchra magnâ religione instituunt. Quod vero Muhammedani vatis sui sepulchrum, quod Medinæ est, tanta religione, tanta frequentia, & tantis denique laborum tædiis quotannis invisant, mirum videri minime debet, ejus enim rei geminam causam habent. Quarum altera est summa spes conciliandi sibi Muhammedis manes, quibus propitiis, in extremo quondam judicio ab omni supplicio immunes, æternæ felicitatis facilius consortes fiant. Altera sunt gravissimæ Muhammedis diræ, quibus ille sui contemtores & negligentes acerbissime prosequitur, utrumque ex sequentibus Muhammedis dictis, quæ religiosa traditione circumferuntur, satis patet.

Quicunque inviserit sepulchrum meum, pro illo intercedere mihi necesse est.

Qui venerit Medinam, sepulchrum meum invisendi causa, pro illo intercedere in resurrectionis die mihi necessum erit. Si quis in alterutro sanctissimo loco, id est, Meccæ, aut Medinæ mortuus fuerit, ille beatus sine ullo supplicii metu suscitabitur.

Qui inviserit sepulchtum meum post obitum meum, perinde est, ac si me viventem inviseret. Qui vero sepulchrum meum non inviserit, ille in me maxime contumeliosus est.

Muhammedanis vero ipsa Medina longe præstantior est Mecca, sui vatis patria, quod ipsum ex vatis traditione quoque liquet.

Vates cum Mecca egrederetur, ita orare cœpit; Deus mi, cum tu eduxeris me ex urbe longe carissima mihi, traduc me in urbem longe carissimam tibi: tum Deus eum Medinam

tradu-

traduxit, quam urbem ipse Deus & vates ejus sanctam esse voluere.

Pag. 200. * *Mulier quædam decrepita capillos fecerat nigros,*
Cui dixi ego: O mater senio confecta!
Capillos arte denigraveris, ponamus:
At certe tergum senio incurvum arte corrigi & rectum fieri nequit.]

Mos in Oriente obtinet, ut senectutem magnates & Principes fuco dissimulent, barba arte denigrata: quia imbecilla senectus paulatim evilescit, unde sæpe regnorum mutationes ex senescentis Principis contemptu instant. Idem quoque rusi faciunt, ut ingenii malignitatem celent, colore plerumque nigro barbam tingentes. Capillitium enim, quod illis radere mos est, alunt nullum. Aniculæ comam tingunt, ut falsa juventutis specie, callide dissimulata senectute, florentem ætatem mentiantur.

Pag. 201. *Divitis cujusdam avari filius morbo graviter conflictabatur, patrem monebant amici, dicentes: Consultum est, ut Alcoranum ipsius causa cures perlegendum, aut victimam cædas atque distribuas; fortassis Deus altissimus tui misertus, pristinam illi valetudinem reddiderit.*]

Muhammedani non suas, ut olim Hebræi, Deo victimas adolent; sed concisas pauperibus comedendas distribuunt: hinc est, quod victimam distribui jubet.

Pag. 202. * *Robur requiritur non aurum; quia heræ*
Gratior est Venus, quam Cræsi opes.]

Pro Crœsi opibus, autor dixit decem libras pondo auri; quod monitum volui illos, quibus voces

voces magis; quam sententias discere studium est: quia Deh decem, Men libram pondo, Ser aurum significat.

Quo quisque senior est, eo est avarior.

CAPUT VII.

P. 204. [a] *Nunquam vero bonum fecerit politor Ferrũ, quod natura pravum fuerit.*

Canem munditiei causa septem in maribus ne eluito:

Madidus enim cum fuerit, sordidior erit.]

Arabum Geographi post Oceanum; alia septem nobiliora maria celebrant. Bachar Essin: id est, Mare Sinense. Bachar Elachsar: Mare Indicum. Bachar Faris: Mare Persicum. Bachar Elkulsum: Mare Rubrum. Bachar Errum: Mare Mediterraneum. Bachar Elchefer Mare Caspium. Bachar Pontus, id est, Pontus Euxinus.

Pag. 205. *Patriam hæreditatem si volueris, patriam scientiam disce:*

Patris enim opes decem dierum spatio absumi possunt.]

Per decem illud dierum spatium, brevissimum quodque tempus intellige, quo etiam maximæ opes per luxum disperdi possunt.

Pag. 206. *Pauper etsi centum fœdas actiones admiserit, turpiaque dixerit;*

Sodales ipsius ne centesimam quidem partem resciverint.

Rex vero si vocem actionemve unam ediderit turpem;

Fama illam de Regno in Regnum differt.]

Paupertas enim ubique fere ignota vilet, &

nemo facile vilium hominum nævos & vitia observat, quorum vita & vitia juxta in obscuro sunt. Quis vero nescit, Regum & Principum, qui in excelso ætatem agunt, dicta & facta in propatulo esse, & fere homines mentem & oculos ad alta ista flectere: Nec mirum utique, si splendentis Solis radii objecta nube fœdati facilius, quam minorum siderum defectus, observentur.

Pag. 209. *Homines deliciis sueti, boneque fortunæ,*

Quare miseriæ metu miseriam tolerent?

Vade & bono animo esto, ô sodalis animum inflammans,

Non enim hodie oportet crastini diei tædia, mæroresque concoquere.]

Eleganti carmine Persæ docent, animum instantis miseriæ metu minime esse turbandum: verba sua lingua sic habent.

Miseriam, quæ nondum adest, dolere, miserrimum est.

Futuram calamitatem futuro tempori elugendam relinque.

Pag. 211. [c] *O filiole, in extremo judicio rogaberis, quid sis lucratus, (scilicet, quæ pietatis officia præstiteris, aut scelera admiseris: id est; rogabunt opus tuum quodnam? Non vero quisnam sit pater tuus?*] Sua quisque non majorum virtute est æstimandus: Natalium splendor virtuti conjunctus, laudi; vitiis, opprobrio est: quod ipsũ Persæ hoc modo eleganter expresserunt.

Hominem non genus nobilitat,
Sed sua virtus.
Unionis pretium à suo splendore est,

Non

Non ab ortū, quem ex concha ducit.

Pag. 212. *Res aliter esse non potest, nisi quod scorpiones parvuli cum matre patreque ita agunt; ea etiam de causa adulti ita grati & amati esse solent.*] Hinc scite Arabes dicunt:

Quicunque filius parentes suos in pueritia non honoraverit, adultus cum fuerit, hominibus parum gratus erit.

Pag. 214. [d] *Mirum equidem est, eburneum peditem cum Regii ludi campum fuerit emensus, Reginam evadere.*] Ludus Regius per Christianum orbem plurimum innotuit; in Oriente omnia ejus ludi simulacra ex ebore fiunt, altera colore nigro tinguntur, altera vero candida relinquuntur, quo lusores tesseras suas facilius agnoscant. Hoc ludo isti proprium est, ut Regina semel capta, si pedes aliquis hostilem aciem fortiter perruperit, eo ille honore mactetur, ut Reginæ jam captæ majestatem & jura feliciter obtineat: quia per tot insidiosos hostes illi enitendum fuit, ut, cum hostilia castra victor incolumis pervaserit, hac egregiæ virtutis laurea merito donandus esse videatur.

Pag. 215. * *Meo nomine dicas peregrinatori mortalium exagitatori;*
Qui cuticulam mortaliū offensionibus lacerat.
Tu non es peregrinator; sed tuus hac de causa camelus;
Quia miser spinis reficitur, onusque portat.]

Peregrinatorem sacrum intellige, qui pietatis ergo, ut sacrorum suorum satagat, Meccam Medinamque invisit: illam Abrahami atque Adami memoriā, positisque primum ibidem sacrorum fundamentis celebratam: hanc Mu-

hammedis, quem superstitiose nimis venerantur, sepulchro nobilem.

P.217.[e] *Tu ô Arslani & Aguschi Domine, Imperatoris tui ipse ne obliviscitor.*] Arslanus & Aguschus sunt nomina mancipiorum, quæ alieno dominio subsunt. Per Imperatorem Deus Optimus Maximus intelligitur, cujus nos omnes servi sumus: Monentur domini, qui sub imperio suo servos habent, ne eos immitius tractent, id semper secum cogitantes, omne sub regno graviore regnum esse, atque idem illud, quod minores ab ipsis extimescunt, majorem ad ipsis Dominum minari.

Pag. 217. [f] *Quodam anno mihi ex urbe Belcha iter Damascum faciendum erat, via latronibus infesta.*] Belcha Chorasanæ sive Transoxianæ provinciæ urbs celeberrima, clementissimo cœlo, & fœcundissimo solo posita, sacchari arundine & aliis plurimis rebus abundat: longitudine sexaginta sex graduum: latitudine triginta sex.

[g] Damascus hic non Syriæ; sed juxta Indiam provinciæ & urbis minus nobilis nomen est, quæ illis gentibus Schamiana appellatur.

Pag. 22. [h] *Sive liberalitatis facultatem, sive precum spectaveris copiam, illa ditioribus longe sunt facillima, qui opes habent illibatas, quinquagesimisque castigatas.*] Muhammedani lege sua non tantum facultatum suarum decimas; sed quinquagesimas insuper sustentandis pauperibus quotannis erogant. Atque opum domini nec legi, nec animo suo existimant factum sa-

tis,

tis, nisi illas erogaverint. Alioquin opes, nisi ista decimarum erogatione sacratas, impuras atque Dominis suis infaustas credunt.

Pag. 222. * *Pauperies in utraque mundo est vultus nigror: Respondit alter: Nonne audivisti, vatem dixisse: paupertas mea est gloria. Dixi ego, tace: mundi Doctor verbis suis pauperie gentem quandam notavit, quæ benevolentia divinæ palæstræ, fatique sagittæ libenter subscribit, omniaque Numini remittit: non illos, qui piorum habitum gestant, victumque ab aliis datum revendunt.*] Multa eaque acris inter mortales lis est, utra hominis conditio, divitis, an pauperis Deo gratior sit? plerique paupertatem Deo acceptiorem prædicant, & divites Cœlitum sedibus excludunt, nulla virtutum aut vitiorum ratione habita, hinc multi neglectis aliis virtutibus, divitiis rejectis, tanquam unico bonæ mentis & virtutis impedimento, paupertatem amplectuntur, sacrarum literarum autoritate scilicet permoti. Cum tamen ea Dei Optimi Maximi mens minime sit, quia multos pauperes vitiis turpes & esse & fuisse constat: multos contra divites virtutibus illustres: eleganter & acute rem ipsã Arabes explicuerunt.

Accepti Deo divites, qui in divitum fortuna pauperum animum gerunt.

Accepti Deo pauperes, qui in pauperum fortuna divitum proprias virtutes, liberalitatem & beneficentiam colunt: qui adeo paupertatem suam aliis non produnt, ut etiam eleemosynas egenis largiantur, re probantes illud, quod vetus verbum habet: *Liberalitatem etiam de pauxillo esse.*

Pag. 225.* *Adeo ut coruscans aurora præ nimia divitis pulchritudine eum veneretur: Mobilisque Cupreßi pes præ pudore se in humum demergat.*] Cupressus pulcherrima ob proceritatem eximiam, ramos arcte & apte compositos, atque virorem perennem arbor est. Hæc adeo procera, nec ramos late diffusos, nec in longum projectos, sed breves & trunco proxime inhærentes habet; qui ab ima fere arbore venustissima serie surgendo, paulatim coëuntes in longum acumen desinant, ut eminus nulla trunci pars nuda; sed tota perpetuo virore, tanquam smaragdino habitu vestita, pulcherrima naturæ facie conspiciatur: Ipsa vero ob gracilem proceritatem, qua mali nautici instar in æthera protenditur, levibus ventorum flabris facile huc atque illuc impellitur. Pes ejus radix est.

Pag. 225. * *Cruore amantium ungulas tinxit,*
Digitorumque extrema sanguineo colore aspersit.]

Hic ad morem alluditur, quo feminæ per Orientem rubro colore manuum pedumque extrema, digitos inquam, ornatus gratia tingere solent; quod & viri, sed rarius tamen faciunt.

Pag. 225. * *Animus, qui Paradisi virgines rapuerit, atque abstulerit;*
Quomodonam blandietur hujus mundi formosis?]

Muhammedani, ut alia multa religionis suæ portenta habent, sic quoque hujus vitæ delicias in futura vita æterna quondam fruendas, magnis animis ex putido religionis suæ fonte concipiunt: ubi virgines incredibilis pulchritudi-

tudinis, non singulis singulæ; sed uni viro plures ob summam voluptatem addentur. Cum igitur Paradisi virgo summam pulchritudinem habeat, qua major nec dici, nec fingi possit, autor eam, ut pulchritudinis exemplum, hic proposuit.

P. 225. * *Rapax canis carnem modo invenerit,*
Non rogat utrum Salichi camelus, an vero Dischalis sit asinus.]

Salichus Muhammedanis vates habitus, filius Arphacsadi, nepos Schemi, pronepos Noachi, Hebræis Schelach dicitur. Dischales est falsus Messias, sive Antichristus, qui ante extremum judicium asino insidens venturus est.

Pag. 226. * *Inertem, qui opum fastu se sapienti prætulerit,*
Asini nates æstimato, etsi bos Ambræ fuerit.]

Hic locus à superiori, quo de Ambræ origine disseruimus, lucem fœneratur, scilicet multos fortunæ ludibrio delusos, Ambram in bove marino nasci, falso credidisse.

Pag. 228. m *Quemvis peditem, quem ille immittebat, ego acriter repellere studebam: & quotiescunque Regi fugam indicebat, ego Regina protegebam.*] In ludo regio illud est familiare, ut quando Regi periculum imminet, illi idipsum hostes voce quoque indicent: Ut Rex istâ ratione vel fugâ, vel objecto militum præsidio servari possit. Cum vero Regina in hoc ludo primas facile teneat, illa sæpe sola ipsum Regem, egregia virtute defensum, discrimini eripit.

Pag. 229. n *Perinde ut Aser simulacrorum fabricator, qui cum argumentis filium convincere*

non posset, in certamen surrexit.] Abrahami pater Terachus, gentilibus Aser cognominatus, quo cognomento alibi cum inclaruisset, in ipso quoque Corano ita appellatus fuit: Ille vero simulacrorum cultum à Nimrodo acceptum pertinaciter cum sectaretur, nec dehortantem ab eo filium Abrahamum audiret, minimo minus absuit, quin à verbis ad verbera deveniretur: hinc est, quod autor dicat; Aserum idoneis argumentis destitutum, contra filium in certamen surrexisse.

Pag. 231. * *Multæ feminarum camelis in lectiis suis vectæ,*
Non misertæ sunt ejus, qui arenis submersus periit.]

Per deserta Arabiæ & Abessinorum loca immensa est arenarum copia, quæ ventorum turbine interdum impulsa, profundi æquoris instar, undas agit, unde quandoque tota viatorum agmina, qui per vastos arenarum campos & invias solitudines maximo cum vitæ periculo iter faciunt, coortis subito arenarum procellis, viva obruuntur. Nulla hîc manifesta viarum vestigia, nec aberrare à via, propter obsessos utrimque à serpentibus campos, impune viatori licet. Locorum igitur peritissimis opus ducibus est, qui singulari cura publicis stipendiis aluntur, ut viatores per vastas & invias arenarum solitudines tuto deducant, qui nec ipsi, turbatis vento vestigiis, ulla certa viarum indicia habent, nisi quod incredibili quadam peritia & frequentissimo commeandi usu, stationes suas agnoscant: quas, si forte aberraverint, tanquam odorisequi canes, mira sagacitate

citate odoratu investigant, odorem lotii, quo stationes perfudère cameli, patulis naribus captantes.

CAPUT VIII.

P.233. F*Elix est ille, qui comedit & seminavit: Infelix ille, qui obiit, & reliquit.*] Docet autor verum divitiarum usum, quas mortalibus largitus Deus immortalis est, ut & ipsi iis fruantur, & pauperibus, unde utantur, liberalissime impertiant: ignoravit ergo earum fructum, qui iis ipse vix usus, invidit, dum vixit, pauperibus earum usum.

Pag.133. [a] *Vota ne facito pro vilissimo illo, qui nullum pietatis officium præstitit:*
Qui vitam suam acquirendarum opum studio consumsit, ipseque non comedit.]

Muhammedani pro defunctorum manibus quoque vota faciunt; & qui aliqua in re sunt, legata bona bonorum suorum parte, quotidie vota pro se fieri, & aliquot Corani capita legi curant.

Pag.233. [b] *Divinus ille vir Moses Carunum monuit, inquiens: Benefacito, quemadmodum tibi benefecit Deus.*] De Caruno, prodigiosis ejus divitiis, profunda avaritia, & miserabili ejus interitu supra abunde est dictum.

Pag.234. Benevolentiæ arbor ubicunque radices egerit;
Rami, fastigiumque illius ipso cœlo altius evadunt.]

Quia bonorum operum vestigia ad ipsum cœlum usque pertingunt.

Pag. 240. [d] *Te propter illam animi ferociam, invictamque animi pertinaciam,*
Non humo; sed igni natum arbitror.]

Ut homo ex humo, molli & apta ingenio ejus materia, sic furias omnes & malos genios igni, acerrimo elemento, natos esse & ipsi Arabes credunt, & ab aliis credi volunt.

Pag. 240. * *In Peilacana provincia virum quendam pium accessi,*
Et dixi, meam tua doctrina ignorantiam expurges.]

Peilacana regionis Aranæ, quæ Armeniæ pars est, cujuspiam tractus & urbis nomen, hæc omni rerum copia affluens, à Peilacano Armenii filio, qui eam primus condidisse & coluisse dicitur, nomen hoc traxit.

Pag. 242. [e] *Stolido laudes audire suas pergratum est; atque perinde ut cadaver à calce inflatum pinguedinem mentitur, laudum illecebris intumescere solet.*] Alludit ad lanionum morem, quo ipsi ad excoriandas facilius oves, eas à calcibus inflant, & cutem acri flatu distentam à carne diducunt.

Pag. 244. * *Audivi, quod ex humo Orientali Quadraginta annis fictilia faciunt.*]

Sinensia fictilia cape, quæ vulgus Porcellanea vocat: materia, ex qua nobile hoc vasorum genus subtili arte fingitur, humo defossa, quadraginta amplius annos macerata vix maturescit, ut sæpe parentes hanc filiis & nepotibus tanquam abstrusos latentesque thesauros, pro luculenta hæreditate relinquant.

P. 244. [f] *Ille, qui subito, perfectus esse videbatur, ad nullam tamen justam & constantem perfectionem pertingit.* *Hic*

Hic vero paulatim virtute & præstantia superat omnes.]

Pullus scilicet gallinaceus, simulac ovo est exclusus, adultus & ad omnia vitæ munia habilis esse videtur, qui statim sibi ipsi victum quærat, nullo materni lactis, aut alius rei præsidio egens. Contra homo, cum primum partu editus in lucem est, omnis rationis expers jacet, & totus impos sui, ab alieno arbitrio pendet, qui roboris & ætatis maturitatem, quam paulatim & veluti per numeros gradusque suos acquirit, diutius etiam retinet: cum pullus gallinaceus, ut subito natus & adultus, ita & subito senescat ac pereat.

Pag. 245. g *Lalus difficulter acquiritur, ideoque magni fit.*]

Lalus gemmæ genus, colore rubro, rarum & magni pretii est, optimum in Bedachschana provincia nascitur.

Pag. 247. * *Omnes noctes si forent Potentiæ Nox, Potentiæ Nox nullo in pretio esset.*] Potentiæ nox illa est, quæ in Muhammedanorum menstruo jejunio, quod Ramasan appellant, certo septem dierum spatio, incerta tamen hora occurrit: credunt vero, ea nocte omnia vitæ crimina sibi certo remitti, & quidquid à Deo petiverint, impetrari; sed præcipitem hanc & incertam horam observare, certe parum certum.

Pag. 254. k *Fatum non mutatur, etsi mille gemitus & suspiria*
Laudans vel queribundus quis ore effundat.]

De fato quæ subtiliter scribant & sentiant Arabum & Persarum gens, longum sit & operosum hic exponere, alias erit de his commodior dicendi locus.

Pag.

Pag.255. * *Qui omnium primus notam vesti, atque annulum manui induxit, Schimschidus fuit.*] Schimschidus Anuschano patre natus, quartus Persarum Rex, ex prima Pischdadianorum familia oriundus, fratrem habuit Thamuratum, tertium Persarum Regem, cui sine prole defuncto, ipse in Imperio successit, pulcherrima corporis specie, maximo ingenio, & incomparabili doctrina summus fuisse memoratur, ut fratre præmortuo, ipsi Persarum proceres illi regnum ultro detulerint: hic ille est, cujus in maximæ urbis Istecharæ origine mentionem supra fecimus: Septingentos circiter annos, diluvii temporibus proximus, regnasse traditur, tandem ingenio superbus, & humanæ sortis nimium oblitus, divinos affectavit honores, sui simulacra, ut Numina, colenda per omnia regni loca dimisit & imperavit: sed à Schedado Adi filio, bello petitus; is fratris sui Elvani filium Sehacum cum exercitu misit, qui, Schimschido bello oppresso, Persarum regnum occupavit.

